BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Eratosthenes

Eratosthenis Catasterismorum reliquiae accedunt prolegomena et epimetria tria

Berolini 1878

4 A.gr.b. 620 d
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10930899-4

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

10930899



10930899

4° A. gr. b. 62 c d





10930899

<36602229050018

<36602229050018

Bayer. Staatsbibliothek

10930899

10930899

4° A. gr. lb. 6 10 d

ERATOSTHENIS CATASTERISMORVM RELIQVIAE.

H 115

10930899

10930899

CERATOSTHENIS CATASTERISMORVM RELIQVIAE.

RECENSVIT

CAROLVS ROBERT.

ACCEDVNT PROLEGOMENA ET EPIMETRA TRIA.

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
1878.

10930899



10930899

MEMORIAE

RVDOLFI HERCHERI.

10930899

10930899

Vivo quod feci, mortuo solvo votum viro praeclaro, quem ne laudari quidem ab improbis fas est. Atqui quod tum confidentius promisi, cum optimo mihique benevolentissimo viro voluntatem meam probare cuperem atque amorem sperarem-que fore, ut ipsius oculis hunc libellum qualemcunque subicere liceret, id nunc, ubi acerrimum philologum philologi, amici amicum suavissimum sibi ereptum lugent, paene vereor, ne adrogantius fecisse videar. Nam vivo librum offerre fortasse minus quis dubitaverit, cum simul iudicio eius subiecerit aut probationem ex eo exspectans aut correctionem et voluntatem certe suam probatum iri confisus; mortuo vero quae dedicamus, ea aliqua saltem ex parte eo digna esse decet. At profecto Rudolfi Hercheri memoria a praestantioribus viris potioribusque donis celebranda est, neque me latet laudi eius neque qui offerat parem esse neque quod offeratur. At ipse, ut clarum suum nomen huic libro inscriberem, permisit; facio igitur, quod fides mortuo data, quod pietas amorque iubent, quoque profecto nihil facere possum libentius.

Eratosthenis Catasterismos ut ederem astronomiae imperitissimus, fere casu factum dixerim; nam cum in varias fabularum formas inquirere coepissem, nihil antiquius habendum esse intellexi, quam ut singularum fabularum fontes accurate investigarentur. Itaque ab enchiridiis mythologicis profectus primum Apollodori bibliothecam, mox Hygini fabulas tractavi; sed ego quoque in difficultatibus, quae in libro illo obviae iam tot viros doctos vexarunt, ita haesi, ut nihil profici viderem, nisi aliis subsidiis circumspectis. Itaque alterum Hygini opus, Astrologiam dico, perscrutatus sum, ut discerem et quos libros scriptor ille legisset et qualem in exscribendis eis se praestaret. Qua via cum nonnulla, quae cognitione digna sint, etiam de Eratosthenis Catasterismis invenisse mihi videar, ea nunc proponenda esse censeo; iam vides quo modo factum sit, ut in hoc libro non minus de Hygino quam

de Eratosthene agatur. Periti iudicent, num quae prolaturus sum ita comparata sint, ut aliis studiis tamquam firma fundamenta subici possint. Quod vero et Hyginum et scholia in Germanicum nonnullis locis paullo emendatiora exhibere possum, id imprimis Adolpho Kiesslingio acceptum refero, qui insigni benevolentia et comitate per totam illam libri partem fidissimum operae comitem se praestitit. Wilamowitzio autem meo quantum debeam, quaevis fere pagina clamat.

Scribebam Cal. Nov. 1878.

10930899

PROLEGOMENA.

Libellum qui in codicibus *Ἐρατοσθένους καταστερισμοί* inscribitur in singulis signorum stellis indicandis cum Hygini Astrologiae libro tertio, in fabulis autem quae ad singula sidera spectant enarrandis cum eiusdem operis libro secundo ita con. ntire, ut aut alterum ex altero descriptum esse aut ex eodem fonte utrumque fluxisse necesse sit, inter omnes constat. atque Bernhardyi (Eratosthenica p. 129) sententiam Catasterismos ex Hygini Astrologia translatos esse opinati praeclarissime refutavit Bursianus (Jahrb. f. class. Philol. 1866 p. 765). nam cum Hyginus II, 1 Callisto *a quibusdam Aetolorum* captam esse narret neque quo modo aut in Arcadiam Aetoli pervenerint aut ad Aetolos Callisto, intellegi possit, ille *ΑΙΤΩΛΩΝ* vocabulum in eo Catasterismorum, quo Hyginus utebatur, exemplari ex *ΑΙΠΟΛΩΝ* fuisse corruptum perspexit, quod vocabulum unice requiritur nec tantum Arati et Germanici interpretes legerunt, sed nostra quoque Catasterismorum exempla exhibent. fuerunt sane qui ipsa Hygini verba vitium contraxisse rati pro *Aetolorum aepolorum* scribi iuberent; sed recte monet Bursianus, cum apud Hyginum haec legantur: *quae cum in silvis ut fera vagaretur, a quibusdam Aetolorum capta ad Lycaonem pro munere in Arcadiam cum filio est deducta; ibi dicitur e. q. s.*, verba *in Arcadiam* eo tantum consilio addita esse, ut aliquo saltem modo Aetoli in Arcadiam deducerentur, inepta vero esse, si *aepolorum* scripseris, cum tota res in Arcadia agatur. haec igitur verissime Bursianus, unde efficitur neque Catasterismos ex Hygino descriptos esse et usum esse Hyginum auctore graeco. alia eiusdem rei argumenta in eadem dissertatione Bursianus attulit; unum ego addam, ut res quae totius disputationis nostrae quasi fundamentum est omni dubitatione eximatur. Hyginus II, 3, postquam Draconem eum esse quem Hercules interfecisset exposuit, ita pergit: *hoc etiam signi erit, quod in sideribus supra eum Draconem Herculis simulacrum ostenditur, ut Eratosthenes demonstrat, quare quoivis licet intellegere hinc maxime Draconem dici;* neque quidquam inest in his verbis, quod offendat. at prorsus alia in Catasterismis leguntur: *μέγιστον δὲ ἔχει σημεῖον· ἐπίκειται δὲ αὐτῷ Ἡρακλέους εἴδωλον, ὑπόμνημα τοῦ ἀγῶνος Διὸς θέντος ἐναργέστατον τῇ σχηματοποιΐᾳ.* Draco igitur maximum sidus, ut est, esse dicitur, tum additur Iovem ei Herculis simulacrum superposuisse. ut Hygini sententia exprimeretur, scribendum

erat *μέγιστον δ' ἐστὶ σημεῖον· ἐπίκειται γὰρ αὐτῷ Ἡρακλέους εἴδωλον κτλ.* atqui adparet graeca verba ita aut perverse intellegi aut corrumpi facile potuisse, latina nullo modo.

Exhibet autem Hyginus ea quae hodie in Catasterismis leguntur fere omnia, — nam praeter pauca minoris ambitus enuntiata unam tantum omittit historiolam, quae de Orione in Catasterismis bis eadem quamvis diversis verbis narratur (VII p. 243, 16—21. XXXII p. 261, 13—17 Westerm.) — ordine tamen ita differt, ut, cum Catasterismorum auctor Aratum accurate sequatur, hic orbis signiferi sidera more Romano ab Ariete exorsus in medio libro coniunctim enumeret atque septentrionalem orbem antecedere, meridionalem sequi voluerit. singulas vero Hyginiani operis partes quae cum libello graeco consentiant diserte hic enumerare eo magis supersedere possum, quod eas inter Catasterismorum fragmenta ita dispositas invenies, ut quae latina quibus graecis verbis respondeant sponte intellecturus sis.[1]) quae si examinaveris Hyginum pleraque ampliora praebere, raro quaedam praetermittere, in universum autem vel in singulis verbis cum Catasterismis ita consentire perspicies, ut eum eadem fere verba, quae hodie in Catasterismis exstant, legisse necesse sit. iam cum in his, quae Hygino cum libello graeco communia sunt, non minus quaterdeciens Eratosthenes nominetur (II, 3 p. 34, 3 Bunte. 6 p. 41, 5. 7 p. 42, 24. p. 43, 8. 14 p. 51, 20. 15 p. 55, 5. 17 p. 56, 16. 20 p. 60, 4. 23 p. 66, 6. 23 p. 69, 20. 30 p. 71, 1. 42 p. 79, 7. III 1 p. 81, 14. 6 p. 83, 22), prorsus necessario concluditur librum ab Hygino compilatum non secius quam eos qui aetatem tulerunt Catasterismos nomen prae se tulisse Eratosthenis.[2]) haec sola relinquitur dubitatio, utrum his ipsis quos nos tenemus Catasterismis Hyginus

[1]) Res dubia est in priore quae sub Ursa minore II a Catasterismorum auctore narratur fabula; adparet decurtatam esse narrationem ac verba variis mendis depravata, nec minus corrupta legisse scholiastam Germanici aut Arati quem vocant interpretem latinum. e quibus tamen certissima ratione in Catasterismis pro *ὕστερον δὲ σεσωσμένῃ* restituisse mihi videor *ὕστερον δὲ ἐγνωσμένῃ*, cum ille *postea vero sentiens*, hic *postea cognitam* aut simile quid (nam verba corrupta sanari posse diffido) verterit. horum sane nihil sub Ursa minore Hyginus habet, sed quam ille sub Ursa maiore de Callisto narratiunculam secundo loco adfert (II, 1 p. 31, 3—6 Bunte), eam facere non possum, quin genuinam atque integram eiusdem fabulae formam esse suspicer quam decurtatam et corruptam in Catasterismis legimus, cum et Hygini illud *postea cognitam* ei, quod graeco auctori restitui, *ὕστερον δὲ ἐγνωσμένῃ* respondere videatur et apud utrumque Diana, non, ut vulgo ferebatur et in fabula antecedenti ab utroque narratur, Iupiter, Callisto inter sidera conlocasse tradatur. quod si recte suspicatus sum, in graecae narrationis initio iam satis antiquo tempore, prius certe quam libellus ad Germanici carmen explicandum in latinum translatus est, Iunonis nomen excidisse statuendum et pro *γνοῦσα* ex Hygini verbis *Iunonem indignatam ἀγαναχτοῦσα* scribendum est, a quo *ἀγνοοῦσα*, quod Arati interpretem legisse adparet, propius abest.

[2]) Bernhardyus ut Catasterismos ex Hygino versos esse, ita quaecunque in Astrologia ex Eratosthene narrantur, ad Mercurium referenda esse putavit; quam opinionem hic verbo tetigisse satis habeo. ultro enim concidit, cum Catasterismos ex Hygino fluxisse nullo modo posse intellexerimus. ceterum quae de Mercurio Bernhardyus protulit, ea stare non posse iam Meinekius intellexit (An. Al. p. 355), nunc in aeternum, opinor, refutavit Hillerus (Eratosthenis carm. rel. p. 65).

usus sit an maiore opere cuius hi Catasterismi compendium sint.[3]) quam dubitationem statim sublatum iri confido, dummodo, quae in utroque libro de Arcade narrantur (Catasterism. VIII. Hygin. astrol. II, 4), inter se contulerimus. Catasterismorum narratio his verbis concluditur *τὸν δὲ Ἀρκάδα πάλιν συμπλάσας ἔθηκεν ἄρτιον καὶ ἐν τοῖς ἄστροις ἀνήγαγεν*, quibus haec Hygini verba respondent: *at pueri membra conlecta et composita in unum;* sed pergit Hyginus, cuius sane verba aut lacuna aut vitio laborare videntur: *dedit cuidam Aetolorum alendum. qui adolescens factus in silvis cum venaretur, inscius vidit matrem in ursae speciem conversam. quam interficere cogitans persecutus est in Iovis Lycaei templum, quo ei qui accessisset, mors poena erat Arcadum lege. itaque cum utrumque necesse esset interfici, Iupiter eorum misertus ereptos inter sidera conlocavit.*[4]) iterum habes Aetolos in Arcadia, iterum dubitari nequit, quin in exemplo, quod Hyginus compilavit, *ἀλπόλων* in *Αἰτωλῶν* corruptum fuerit; atque *ἀλπόλῳ* habent schol. Arat. *pastori* schol. Germ. atqui duobus libris Hyginum usum esse, quorum in utroque miro quodam casu idem vocabulum in eadem narratione adhibitum prorsus idem mendum contraxisset, nemo sibi persuadeat. immo luce clarius est et in eodem exemplo hoc accidisse et ex eodem fonte hanc narrationem fluxisse atque eam, in qua idem vitium occurrit, quae est de Ursa maiore. itaque haec omnia ad Catasterismos referenda esse elucet; quae cum in nostris libris non exstent, Hyginum Catasterismos ampliores necdum in hanc brevitatem contractos legisse evincitur. quae cum ita sint, dehinc integrum illud, quod Hyginus compilavit, opus Catasterismos, libellum autem, quem nos tenemus, Epitomen vocabo.

Iam igitur circumspiciendum est, num alia Catasterismorum frustula quae in Epitome omissa sint ex Hygino erui possint. atque primum ultro se offerunt eae fabulae in quibus diserte Eratosthenes nominatur. nam duos libros Eratosthenis nomine inscriptos similiterque in siderum causis ex fabulari historia repetendis versantes Hyginum habuisse credi nequit. exceptis igitur illis quos supra indicavi locis sexiens tantum in Astrologia Eratosthenes commemoratur:

I. (II 1 p. 35, 10 Bunte) *itaque Eratosthenes ait:*

Ἰκάριοι τόθι πρῶτα περὶ τράγον ὠρχήσαντο.[5])

II. (II 24 p. 67, 18) *Eratosthenes autem dicit et virginibus Lesbiis dotem, quam cuique relictam a parente nemo solverit, iussisse reddi, et inter eas constituisse petitionem.*

---

[3]) Hanc ipsam quaestionem nuper Bursianus proposuit (Sitzungsber. d. k. bayr. Akad. 1876 p. 32 Anm. 33), cui veri pars suboluisse videtur. nulla tamen ille in alterutram partem protulit argumenta.

[4]) Vides hanc fabulam ei, quae sub Ursa maiore narratur, in universum simillimam esse, sed in singulis ita differre, ut maiores Arcas habeat partes.

[5]) Cf. Hiller Eratosthenis carm. rel. fr. XXXII p. 105 s. *Ἰκάριοι* scripsi ex Bursiani sententia; nam artificiosius videtur Hilleri *Ἰκαριοῖ*.

III. (II 40 p. 78, 6) *nonnulli cum Eratosthene dicunt eum cratera esse, quo Icarius sit usus, cum hominibus ostenderet vinum.*

IV. (II 42 p. 79, 11) *tertia est stella Martis, quam alii Herculis dixerunt, Veneris sequens stellam hac, ut Eratosthenes ait, de causa, quod Vulcanus cum uxorem Venerem duxisset, et propter eius observantiam Marti copia non fieret, ut nihil adsequi videretur, nisi sua stella Veneris sidus persequi, hoc*[6]) *a Venere impetravit. itaque cum vehementer amor eum incenderet, rem significans e facto stellam Pyroenta adpellavit.*

V. (II 42 p. 80, 2) *nonnulli hunc Aurorae et Cephali filium dixerunt pulcritudine multis praestantem. ex qua re etiam cum Venere dicitur certasse,*[7]) *ut etiam Eratosthenes dicit. eum hac de causa Veneris adpellari et exoriente sole et occidente videri, quare, ut iam ante diximus, iure hunc et Luciferum et Hesperum nominatum.*

VI. (II 43 p. 80, 12) *Eratosthenes enim dicit Mercurio infanti puero insciam Iunonem dedisse lacte; sed postquam rescierit eum Maiae filium esse, reiecisse eum a se et ita lactis profusi splendorem inter sidera adparere.*

Ex his IV et V ad planetas spectare inque nominibus eorum explicandis versari vides. in Epitome de quinta tantum stella fabula enarratur, ceterarum fere nomina tantum indicantur. sed convenit de eis inter Hyginum et Epitomen; immo ille etiam ubi de secunda stella verba facit Eratosthenem commemorat. trium igitur posteriorum planetarum causas in Catasterismis enarratas fuisse certum, itaque priorum quoque duorum causas ex eodem fonte Hyginum hausisse consentaneum est. Hygini igitur caput XLII aut totum aut magnam partem ex Catasterismis fluxisse statuo, exceptis tamen eis, quae in calce ex Euhemero adduntur. nam Euhemerum ab ipso Hygino lectum esse postea demonstrare conabor. cf. Epimetrum II.

Maximi momenti verba sunt quae sub III adscripsi; nam qui Cratera ex Icarii fabula explicuit, is Booten a nonnullis pro Icario, Virginem pro Erigona, Caniculam pro Maera haberi praetermittere non potuit. probabiliter igitur ad Catasterismos referimus, quae Hyginus II 4 p. 34, 25 — 38, 3 de Icario, II 25 p. 68, 9 de Erigona, II 35 p. 74, 6 de Icarii cane narrat. atque quod modo probabile erat, statim certum fiet. nam quae in scholiis in Iliadem conscriptis X 29 de Icario legitur fabula quamquam in brevius contracta tamen cum Hygini narratione accuratissime consentit; hoc recte statuit Hillerus (Eratosth. carm. rel. p. 95 s.). atqui in illius scholii calce additur *ἱστορεῖ Ἐρατοσθένης ἐν τοῖς ἑαυτοῦ καταλόγοις.*

Quae sub II adscripsi verba, longiorem disputationem requirunt. quid quod vel Valckenarius et Hauptius quae illic de virginibus Lesbiis narrarentur se intellegere negarunt. hodie qui caput illud Hyginianum perlegit, his verbis Berenices nescio

---

[6]) *hoc* addidi.

[7]) In transcursu moneo hoc Veneris Hesperique de pulcritudine certamen repraesentatum esse in picturis Pompeianis ab Helbigio n. 964—968 enumeratis, quarum unam idem Helbigius delineandam curavit v. tab. XI; hoc primus intellexit Carolus Dilthey Bull. d. Inst. 1869 p. 152.

quod bene factum narrari suspicetur necesse est, cum praecedentia omnia in inclutae reginae moribus inlustrandis versentur. quod si verum esset, etiam praecedentia ad Catasterismos redire statuendum esset, ita ut auctor operis illius, cum de sidere quod Berenices crinis audit verba faceret, arrepta occasione nonnulla e vita celeberrimae mulieris adiunxisse videretur. at duas quae praecedunt narrationes (p. 67, 11—18) ex Catulliani carminis LXVI commentario fluxisse praeclarissime evicit Hauptius (Quaest. Catull. p. 82 s. = Opusc. I p. 60), cum alteram ex carminis illius v. 54 iam tum corrupto fictam, alteram ad eiusdem carminis v. 26, quo magnanima vocatur Berenice, inlustrandum adscriptam esse ostendit. sed in Astrologia pro Catullo Callimachi nomen subditum est. quod ut ab Hygino factum esse credam, quem ipsum Callimachum legisse veri non dissimile est (cf. Epimetr. II), nullo modo a me impetrare possum. immo nullus dubito quin rectissime Hauptius utramque narrationem ex Catulli commentario ab interpolatore additam esse statuerit. vellem tamen virum summum obelo pepercisse in eis, a quibus disputatio nostra profecta est, verbis. neque enim ullus in Catulli carmine inest versus, cui explicando haec adscripta esse possint, et cum totiens Hyginum, ubi Eratosthenem nominat, Catasterismos intellegere viderimus, idem in haec quoque verba cadere consentaneum est. sublatis igitur insiticiis narrationibus Catasterismorum illud frustulum ipsius sideris explicationem continuo excipit. at vide, ne forte de vi ac sententia huius frustuli mirifice falsi simus. Berenices aliquod factum narrari putavimus; at quis credat, scriptorem, postquam quae res sideri nomen dedisset exposuit, unum tantum Berenices factum, quod ad sidus explicandum nullo modo pertineat, adnectere? de Berenice dici putavimus: at iam ita verba sese excipiunt: *quod factum cum rex aegre ferret, Conon mathematicus, ut ante diximus, cupiens inire gratiam regis dixit crinem inter sidera videri conlocatum et quasdam vacuas a figura septem stellas ostendit, quas esse fingeret crinem. Eratosthenes autem dicit et virginibus Lesbiis dotem, quam cuique relictam a parente nemo solverit, iussisse reddi et inter eas constituisse petitionem.* quis igitur iussit? num Berenice? immo, opinor, Conon. vides quantis tenebris huius loci interpretatio obvoluta sit. quare quamquam vereor, ne audacius egisse videar, dicam aperte quod sentio. neque enim ad Berenicen neque, quod prorsus ridiculum esset, ad Cononem mathematicum verba illa pertinent, sed aliam eiusdem sideris, quod vulgo Berenices crinis vocabatur, nominationem atque explicationem continent. corrupta esse pro certo, Hyginum iam graeca verba male reddidisse pro satis probabili habeo, de sanatione certa despero. hoc ut ita statuam, maxime me inducit comparatio scholiastae Germanici, quem et ipsum Catasterismos compilasse iam saepius indicavi, mox accuratius expositurus sum. hic igitur (p. 72, 19 Breysig.) ita scribit: *stellae obscurae VII, quae vocantur crines Berenices Εὐεργέτιδος. dicuntur et earum virginum quae Lesbo perierunt.* ultima verba longiori at corruptissimae Hygini narrationi respondere manifestum est. fuerunt igitur qui septem illas stellas, quas Conon Berenices crinem esse dixit, Lesbiarum virginum crines dicerent; alios easdem Ariadnes crinem vocasse ex Epitome V discimus. virgines illae quae fuerint hodie sciri nequit.

sed monitum volo lectorem, quot historiolae de formosarum puellarum amore aegritudine pernicie Lesbi potissimum circumlatae sint. Enalum et Sminthei filiam (Plut. conv. VII sap. p. 163 B. de sollert. animal p. 984 E. Athen. XI p. 780 C.), Hellenida et Lamaxin (Agathias in Anth. Pal. VII 614) digito indicasse sat erit. atque unum certe ex iis qui Lesbiorum fabulas amatorias conlegerint Myrtilum Methymnaeum a Catasterismorum auctore lectum esse postea videbimus. iam restat, ut examinemus, num quae de Berenice Hyginus narrat ex Catasterismis fluxisse possint. quod, si re vera Eratosthenis sunt Catasterismi, nullo modo fieri potest. neque enim ille de Berenices parentibus tam egregie falsus esset: nam Magae, Cyrenarum regis, non ut Hyginus dicit, Ptolemaei filia fuit Berenice *Εὐεργέτις* nec soror[8]) mariti sui, sed patrui filia. at hic error ab ipso Hygino, qui saepius nonnulla de suis addere solet, commissus esse potest. sed nihil inest in narratione quod non ex Callimachi elegia quae *πλόκαμος Βερενίκης* inscribebatur, immo vel ex Catulli versione sciri potuerit. qua re cum ad Catasterismos redire hanc capitis partem certis argumentis demonstrari nequeat, inter operis illius fragmenta eam recipere nolui.

Verba, quae sub VI posui, si de lectione constaret, in Catasterismis plura de lacteo circulo exposita esse quam quae in Epitome legimus probarent. at in Hygini codicibus Reginensi et Montepessulano Bursiano teste haec verba ita leguntur: *Eratosthenes enim dicit in Mercurio e. q. s.* itaque si re vera librorum illorum tanta est auctoritas quanta videtur Bursiano haec ad Mercurium carmen referenda, a Catasterismis autem aliena sunt;[9]) nam si Eratosthenis fuerunt Catasterismi, illum suum ipsius carmen testimonii instar attulisse prorsus incredibile est; neque credibilius, si liber nomen auctoris mentitur, hoc a falsario factum esse. equidem rem in medio relinquere malo; nam quamquam mihi vel Reginensis interpolationibus carere minime videtur, certi aliquid adfirmare non ausim, cum nemodum accuratius in Hygini libros manu scriptos inquisiverit.

Versum quem sub I adscripsi recte, nisi omnia fallunt, ad Erigonam rettulit Hillerus l. l. p. 105; quamquam enim inter Catasterismorum fragmenta et Musaei et Hesiodi versus ad verbum exscriptos invenimus, tamen Eratosthenis versus in illo opere extitisse non magis credibile est, quam historiolas ex illius carminibus repetitas fuisse, qua de re modo locuti sumus. itaque hunc versum una fortasse cum praecedente historiola aliunde petitum esse adparet neque est cur Hyginum ipsam Erigonam legisse negemus, quod carmen primis p. Chr. saeculis nondum oblitteratum

---

[8]) Huius erroris duplex origo cogitari potest; aut enim scriptor Berenicen Cyrenaicam cum Berenice Ptolemaei Philadelphi filia, Antiochi secundi uxore confudit aut Catulli v. 22 *sed fratris flebile discidium* male intellexit.

[9]) Haec est Hilleri sententia l. l. p. 7; ceterum cum Hyginus praeter Eratosthenis Catasterismos alium quoque librum, in quo fabulae ad sidera spectantes enarratae erant, compilaverit (cf. Epim. II), nihil obstat, quominus ea quae ex Eratosthenis carminibus adfert illinc fluxisse putemus, nisi forte ipse et Mercurium et Erigonen legit.

fuisse constat. nam quam Hyginus de capro narrat fabulam[10]), ea certe neque ab Erigones argumento aliena neque Alexandrino poeta indigna est, ita ut fortasse non hic versus tantum, sed tota, in qua adfertur, narratio ad Erigonen referenda sit. sed utut haec res se habet, ad Catasterismos certe neque versum neque fabulam redire recte statuere mihi videor. itaque cum in Hygini Astrologia non minus viciens Eratosthenis nomen occurrat, auctor semel Erigonen, semel fortasse Mercurium, at certe duodeviciens Catasterismos significat.

Praeter haec, quae ex Catasterismis sumpta esse ipse Hyginus testatur, alia quoque fragmenta huius libri non sine summa probabilitate ex Astrologia elicere posse mihi videor.

---

[10]) Inde a verbis *qui cum sevisset vitem* usque ad versum Eratosthenis; nam haec aliunde Catasterismorum narrationi inserta esse ipse Hyginus indicat, cum pergat *alii dicunt Icarum* e. q. s. ceterum fabula non est indigna, quae longius inlustretur; quod cum hoc loco facere non possim, nonnulla tamen digito monstrabo. duo enim hac narratione exponuntur *αἴτια*, primum Ascoliorum origo, tum cur capri immolentur. hoc ipsa fabula docet, illud non inepte ex Ovid. fast. I 353 s. concludere mihi videor. comparare iuvat Leonidae Tarentini epigramma (Anthol. Pal. IX 99):

Ἴξαλος εὐπώγων αἰγὸς πόσις ἔν ποθ' ἁλωῇ
οἴνης τοὺς ἀπαλοὺς πάντας ἔδαψε κλάδους.
τῷ δ' ἔπος ἐκ γαίης τόδ' ἄπνε 'κεῖρε, κάκιστε,
γναθμοῖς ἡμέτερον κλῆμα τὸ καρποφόρον·
ῥίζα γὰρ ἔμπεδος οὖσα πάλιν γλυκὺ νέκταρ ἀνήσει
ὅσσον ἐπισπεῖσαι σοί, τράγε, θυομένῳ.'

quod latine ita reddit Ovidius l. l.

rode caper vitem, tamen hinc cum stabis ad aram,
in tua quod spargi cornua possit, erit.

idem in brevius contraxit Euenus Ascalonita Anth. Pol. IX 75, ut picturae subscriberetur. nam nuper Pompeis pictura eruta est in qua capri et peccatum et poena expressa sunt; adpictum autem est Eueni epigramma. diligentissime edita est pictura Mon. d. I. X 36 et accurate explicata a Carolo Dilthey Ann. d. I. 1876 p. 294 s. qui de Eueni epigrammate etiam in programmate Turicensi egit (Epigrammatum graecorum Pompeis repertorum trias). vides quam nota popularisque fabella fuerit. eandem igitur, quam Ovidius et, si recte conieci, Eratosthenes in Erigona latius exposuerunt, Porphyrius de abstinentia II, 10 significat in ea libri secundi parte, quam aut de suis aut ex alio fonte Theophrasti disputationi interposuit; dicit enim *αἶγα δ' ἐν Ἰκαρίᾳ τῆς Ἀττικῆς ἐχειρώσαντο πρῶτον, ὅτι ἄμπελον ἀπέθρισεν.* Bernaysius quidem (Theophrastos über die Frömmigkeit p. 61) hoc quoque frustulum ex Theophrasto fluxisse suspicatur, id quod cautius in medio relinquemus. variae autem in antiquitate circumferebantur narrationes, quae omnes in variorum sacrificiorum originibus explicandis versabantur. huc faciunt ea omnia quae Ovidius l. s. habet exempla, huc egregia illa atque irrisionis plena narratio, quam Hyginus II 15 de Prometheo nescio quem auctorem, certe non Eratosthenem, secutus profert; cuius narrationis elegantiam obscuravit ille quidem, minime vero sustulit. iam vides, quam arte haec omnia cohaereant cum quaestione in philosophorum disciplinis miro studio tractata, quae est de hostiis, de qua praeclare, ut solet, disputavit Bernaysius in eo quem modo laudavi libello. valde doleo, quod nunc quidem in aetatem, qua hae narrationes ortae sint, accuratius inquirere nequeo. nam paucas earum quarto saeculo antiquiores esse suspicor.

Primum igitur II 22 p. 65, 2 haec leguntur: *sed qui de Castore et Polluce dicunt, hoc amplius addunt, ut Castor in oppido Aphidnis sit occisus, quo tempore Lacedaemones cum Atheniensibus bellum gesserunt.* cum his ultima capitis verba ita cohaerent, ut divelli nequeant: *Pollucem ait Homerus concessisse fratri dimidiam vitam. itaque alternis diebus eorum quemque lucere.* at quae antea de Castore et Polluce narrata sunt, ea, cum in Epitome quoque exstent, ex Catasterismis fluxisse necesse est. itaque tantum non ipse testatur Hyginus se ea quae adscripsi verba ex Catasterismis sumpsisse.

Deinde quae II 27 p. 69, 9—13 de figura sideris quod Sagittarius audit adduntur, necessitate quadam coacti ad Catasterismos referimus, etsi in Epitome omissa sint. nam cum antea Sagittarium crura equina et caudam satyri habere, neque tamen centaurum esse, sed hominem Crotum nomine expositum sit, necessario ex Croti illius vita ac moribus tam mira conformatio explicanda est. quare ea quae Hyginus servavit verba nullo modo deesse posse neque in Catasterismis defuisse statuo.

Inter ea quae Hygino cum Epitome communia sunt duae occurrunt fabulae ex Aglaosthenis Naxicis sumptae (Hygin. II 2 p. 31, 23 s. = Epitome II p. 240, 14. et Hygin. II 16 p. 56, 2 = Epitome XXX p. 259, 20), quarum alteri tertia fabula quae et in Epitome et apud Hyginum tricesima nona est tam cognata est, ut illam quoque ex Aglaosthene petitam esse facile concessurus sis. ter igitur in Catasterismis Aglaosthenem adhibitum esse vidimus, quartum adhibitus est in eis, quae apud Hyginum II 17 p. 56, 25 — 57, 3 leguntur. quae quamquam in Epitome omissa sunt ad Catasterismos referre eo minus dubitabimus, quo rarior Aglaosthenis est in antiquitate memoria.

Simili argumentatione inter Catasterismorum fragmenta recipio, quae Hyginus II 5 p. 39, 1—4 de Corona plura narrat cum secutus, *qui Cretica conscripsit;* quem Epimenidem esse verba Epitomes XXVII *Ἐπιμενίδης ὁ τὰ Κρητικὰ ἱστορῶν* demonstrant. qua re Epimenidem in Catasterismis exscriptum fuisse certum, eundem ab Hygino lectum esse parum probabile est. itaque Hyginus alterum quoque Epimenidis fragmentum ex Catasterismis sumpsit. quod ne inconsulte conclusisse videar, considera, quaeso, ipsa Epitomes verba V: libenter, opinor, concedes nonnulla omissa esse. nam quo modo, obsecro, Theseus eius coronae splendore ex labyrintho servari potest, quam Naxi demum Ariadna a Venere acceperit? prorsus necessaria ea verba sunt quae, cum in Epitome ante *Ἡφαίστου* aut exciderint aut ab Epitomatore omissa sint, Hyginus servavit, quibus iam in Creta Liberum hanc coronam Ariadnae dedisse Epimenide auctore narratur.

Haec igitur ex Catasterismis sumpsisse Hyginum satis certa ratione statui potest. sed longius pedem proferre non ausim nisi subsidiis circumspectis. atqui obvia ea in scholiis in Germanici Aratea conscriptis, quae quidem in libris Basileensi et Parisino servata praeeunte Breysigio scholia Basileensia vocamus (v. Germanici Aratea ed. Breysig. p. 55—104). haec igitur scholia ab homine Lactantii

Firmiani[11]) aetate antiquiore, sed graecae linguae non nimis perito conscripta, quaecumque Hygino cum Epitome communes sunt historiolae, eas fere omnes[12]) continent. itaque non defuerunt qui pravissimo iudicio usi Germanici interpretem haec omnia ex Hygino exscripsisse opinarentur. atque illorum sententiam iam Bursianus refutavit l. s. p. 766, dum in Callistus fabula, de qua iam in primis paginis locuti sumus, Hyginum *Αἰτωλῶν*, interpretem Germanici *αἰπόλων* legisse monet. potest sane hoc sufficere; sed cum res ad scholiorum illorum naturam ac proprietatem recte aestimandam summi momenti sit, paullo accuratius disputabo, utar autem eadem occasione, ut exponam, unde nonnullae quae inter Hyginum Germanicique interpretem intercedunt discrepantiae ortae sint.

Epitome II p. 241, 2 de Ursae minoris stellis haec habet: *ἔχει δὲ ἀστέρας ἐπὶ ἑκάστης γωνίας τοῦ πλινθίου λαμπρὸν α'* i. e. habet in singulis quadrati,[13]) quod ursae corpus deformat, angulis stellas singulas splendidas. Hyginus III, 1 ita vertit: *minor* (sc. Ursa) *autem habet in stationis unoquoque loco stellas singulas clare lucentes* in quibus sane *stationis* illius vim ac significationem non perspicio. iam vero audias interpretem Germanici p. 60, 1: *habet stellas in ipso latere IIII in quatuor angulis claras.* nonne luce clarius est illum non Hygini *stationis,* sed graecum illud *πλινθίου* ante oculos habuisse; quamquam quid ursae cum lapide latericio esset vix ipse sciebat.

Epitome I p. 240, 5, ubi de Ursae maioris stellis agitur, numerantur *ἐφ' ἑκατέρων ὠτίων β'. ὠτίων* iam antiquitus in nonnullis exemplis in *νώτων* corruptum est; ita enim habent scholia Aratea ad v. 27 p. 54, 32 Bekk.; nam in illis quoque Catasterismorum frustula latere postea exponam. atqui Hyginus habet III, 1 *in utrisque auribus binas,* contra interpres Germanici *in singulis umeris singulas* (debebat *binas*). itaque hic *ὠτίων*, ille *νώτων* legit. in eadem enumeratione Hyginus pectoris stellam omittit. idem iam in graecis exemplis factum esse conlatis scholiis Arateis discimus. itaque Hyginus viginti duas tantum, contra interpres Germanici recte viginti tres stellas Ursae maiori tribuit.

---

[11]) Lactantius Firmianus ter exscripsit interpretem Germanici I 11 p. 183 A Migne = schol. Germ. p. 91, 19 Breysig. I 21 p. 240 A = schol. Germ. p. 73, 16. I 21 p. 237 B = schol. Germ. p. 70, 13. atqui cum Lactantius altero loco haec Caesarem in Arato narrare scribat, fuerunt qui ipsum Germanicum haec carmini suo commentarii instar adiunxisse putarent; inter quos Merkelius est (Ovid. fast. p. LXXXVI.). cui sententiae scholiorum dictionem, quae iam labentem latinitatem redolet, refragari verissime statuit Suringarius de mythographo astronomico, qui vulgo dicitur scholiastes Germanici. Leidae 1842. mihi ex Lactantii verbis nihil aliud effici videtur quam illa iam aetate commentarium eodem volumine atque Germanici carmen comprehensum fuisse. ceterum nihil ad rem, quod, antequam Breysigii cura de variis scholiorum stirpibus edocti eramus, Gustavus Beckerus magnam scholiorum partem post Isidorum conscriptam esse statuit (Prolegomena in Isidorum p. IX), cum quae ille ex Isidoro exscripta esse censet, eorum nihil in scholiis Basiliensibus legatur. immo mea sententia haec scholia, si paucissimas interpolationes excipias, prorsus eadem sunt quae legit Lactantius.

[12]) Deest Europae fabula Hyg. II 21 p. 62, 7 = Epitome XIV p. 249, 1 s.

[13]) Cf. schol. Arat. v. 27 p. 55, 6 Bekker *οἱ μὲν ἐπὶ τοῦ πλινθίου δ'. πλινθίον δὲ λέγεται παρὰ τοῖς γεωμέτραις πᾶν τετράγωνον.*

Epitome V p. 242, 16 s. de Corona haec leguntur: *Οὗτος λέγεται ὁ τῆς Ἀριάδνης· Διόνυσος δὲ αὐτὸν εἰς τὰ ἄστρα ἔθηκεν, ὅτε τοὺς γάμους οἱ θεοὶ ἐν τῇ καλουμένῃ Δίᾳ ἐποίησαν, ᾧ πρώτῳ ἡ νύμφη ἐστεφανώθη παρὰ Ὡρῶν λαβοῦσα καὶ Ἀφροδίτης.* itane? cum Liberi Ariadnaeque nuptias dei celebrarent, tumne Liber Ariadnae coronam inter sidera conlocavit? immo tunc primum, opinor, nova nupta eam a Venere Horisque accepit. manifestum igitur est verba *ὅτε τοὺς γάμους — ἐποίησαν* post *Ἀφροδίτης* traicienda esse. atque ita profecto Hyginus verba conlocata legit; nam vertit II 5 *haec* (Corona) *existimatur Ariadnes fuisse a Libero patre inter sidera conlocata. dicitur enim in insula Dia cum Ariadne Libero nuberet, hanc primum coronam muneri accepisse a Venere et Horis, cum omnes dei in eius nuptiis dona conferrent.* contra schol. Germ. p. 61, 7 *haec corona dicitur esse Ariadnes, quam Liber astris intulisse, ut eius nuptias dei in insula Dia celebrarent, cogitans praeclaram facere, qua primum nova nupta coronata est, quam acceperat ab Horis et Venere.* unde adparet in exemplo quod interpres Germanici tenebat verba iam transposita fuisse. aliud quoque vitium huic exemplo cum nostris Epitomes codicibus commune erat. de Canicula in Epitome 33 haec leguntur: *περὶ τούτου* (scil. *τοῦ κυνὸς*) *ἱστορεῖται ὅτι ἐστὶν ὁ δοθεὶς Εὐρώπῃ φύλαξ μετὰ τοῦ δράκοντος.* iam Koppiersius intellexit pro *δράκοντος* restituendum esse *ἄκοντος* cf. Apollodor. bibl. III 15, 1, 5. Antonin. Liberal. XLI. at *δράκοντος* legit interpres Germanici p. 94, 9 *hunc dicunt custodem datum Europae una cum dracone.* Hyginus II, 35 nec draconis nec iaculi mentionem facit.

In Epitome XXIV Musae cum cui Orphei lyram darent non haberent, ab Iove impetrasse dicuntur, ut inter sidera eam conlocaret. sed ipsa verba adscribam *τὴν δὲ λύραν οὐκ ἔχουσαι ὅτῳ δώσειαν τὸν Δία ἠξίωσαν καταστερίζειν, ὅπως ἐκείνου τε καὶ αὐτῶν μνημόσυνον τεθῇ ἐν τοῖς ἄστροις.* quibus haec Hygini verba respondere adparet II, 7 *Musas ..... lyram quo maxime potuerunt beneficio illius memoriae causa figuratam stellis inter sidera constituisse Apollinis et Iovis voluntate,* quamquam Hyginus, qui in hoc capite alium quoque libellum adhibuit, et in his verbis et antea nonnulla a Catasterismis aliena admiscuisse videtur. iam evolvas interpretem Germanici p. 84, 13 *eiusque lyram Musaeo dederunt Iovemque rogavere, ut eius memoriam astris inferret.* quid hoc rei est? unde Musaei mentio inlata? quid quod idem in scholio Arateo ad v. 264 p. 75, 37 Bekk. commemoratur, quod Catasterismorum narrationem in brevius contractam exhibet servata tamen tanta vel in singulis verbis similitudine, ut de fonte dubitari nequeat. verba in Vaticano et Marciano ita leguntur: *καὶ μετὰ θάνατον αὐτοῦ τὴν λύραν αἱ Μοῦσαι ἔδωκαν Μουσαίῳ ἀξιώσαντι*[14]) *τὸν Δία, ὅπως αὐτοῦ μνημόσυνον εἴη ἐν τοῖς ἄστροις.* adparet eadem Germanici interpretem in exemplo suo scripta invenisse, nisi quod pro *ἀξιώσαντι* legisse videtur *ἀξιώσασαι,* quod, ni fallor, verum

---

[14]) Pro his ex Mosquensi haec leguntur in editione Buhlei I p. 284 *οὗ ἀξιώσαντος λόγος τὸν Δία αὐτὴν καταστερίσαι*; Bekkerus *οὗ ἀξιώσαντος ὁ Ζεὺς αὐτὴν κατηστέρισεν.* de Vaticano et Marciano vide quae dixi in Fragmentorum prooemio.

est. itaque hoc loco iam antiqua exempla dissentiebant; in aliis *ἔδωκαν Μουσαίῳ ἀξιώσαντι τὸν Δία*, in aliis *οὐκ ἔχουσαι ὅτῳ δώσειαν τὸν Δία ἠξίωσαν καταστερίζειν* exstabat. mihi Epitomes lectio praeferenda esse videtur, cum Musaei mentio satis importuna sit. fortasse *ΕΧΟΥΣΑΙΟΤΩΙ* in *ΜΟΥΣΑΙΩΙ* abierat, tum protervus interpolator, ut aliquem certe sensum restitueret, cetera mutavit. similem interpolationem vide in Fragmentis XLI. sed quidquid statuetur, hoc iam certissimum esse arbitror, non Hyginum sed graecum Catasterismorum exemplum ab interprete Germanici compilatum esse.

Sed mitto eius generis exempla amplius coacervare; quae attento lectori in qualibet pagina ultro se offerunt. noto potius p. 74, 20 et p. 80, 6 [15]) diserte Eratosthenem nominari, unde elucet id quoque quod interpres Germanici compilavit exemplum illius nomen prae se tulisse. at non hanc Epitomen interpres Germanici manibus habebat, sed integrum opus. exhibet enim Arcadis fabulam p. 64, 20 s., quam in Epitome omissam in Catasterismis exstitisse supra evici. his autem ita statutis vix dici potest quantum lucremur. nam primum, si scholiastae verba cum Hygino contulerimus, perspiciemus hunc artissime graeci auctoris vestigia sequi, illum multis modis variare ornare amplificare de suis vel ex aliis auctoribus haud raro addere, ita ut, nisi forte alia argumenta accedunt, Hyginiana tum demum ad Catasterismos referri debeant, cum apud scholiastam quoque recurrunt. contra cum eae Hygini particulae, quas supra aliis argumentis nisi Catasterismis tribuimus, magnam partem in his scholiis inveniantur, non spernendo argumento sententia nostra confirmatur. recte igitur supra quaecunque de planetarum originibus Hyginus II 42 exponit, ad Catasterismos rettulimus; nam fere eadem habent schol. Germ., nisi quod illic Phaethontis fatum verbo tantum commemoratur, cum Hyginus longius id explicet. sed utriusque verba adscribam: schol. Germ. p. 103, 2 *post fulminis ictum caelo receptus.* Hygin. II 42 p. 79, 7 *de quo complures scripserunt, ut patris inscienter curru vectus incenderit terras; quo facto ab Iove fulmine percussus in Eridanum deciderit et a Sole inter sidera sit perlatus.* atque quae hic plura habet Hyginus, ea fere ad verbum consentiunt cum eis quae idem in fabularum libro 152 narrat: *Phaethon Solis et Clymenes filius cum clam patris currum conscendisset et altius a terra esset elatus, prae timore decidit in flumen Eridanum. hunc Iuppiter cum fulmine percussisset, omnia ardere coeperunt.* [16]) itaque haec ipsum Hyginum addidisse, in Catasterismis autem ea non extitisse manifestum est. similiter horum scholiorum consensu confirmatur recte nos et Epimenidis narrationem (Hygin. II, 5 p. 39, 1 s. = schol. German. p. 62, 3) et ea, quae de morte Castoris Pollucisque traduntur (Hygin. II 22 p. 65, 2 = schol. Germ. p. 68, 4), ad Catasterismos rettulisse. de Lesbiis virginibus iam supra monui.

Iam de eis nobis disputandum erit narrationibus quae Hygino cum interprete

---

[15]) Eo loco Eratosthenis nomen felicissime restituit Büchelerus.

[16]) Dedi verba, qualia ex Frisingensi descripsit Micyllus; eadem alio loco paullo emendatiora exstare Epimetro I demonstrabo.

Germanici communes sunt neque tamen aut in Epitome exstant aut argumentis aliunde petitis Catasterismis adsignantur. sunt autem hae:

I	de Ursa maiore ex Amphide comico . .	Hygin.	II 1 p. 30, 15—20 =	schol. Germ.	p. 58, 9—12.
II	de Dracone	„	II 3 p. 34, 5—9 =	„ „	p. 60, 16—18.
III	de eodem ex Panyasidis Heraclea . . .	„	II 6 p. 41, 8—11 =	„ „	p. 61, 3—5.
IV	de Ariete	„	II 20 p. 59, 28—60, 3 =	„ „	p. 80, 5—6.
V	de Pliadibus et Hyadibus ex Pherecyde et Musaeo	„	II 21 p. 62, 10—63, 8 =	„ „	p. 74, 21—75, 15.
VI	de Asinis ex Philisco	„	II 23 p. 65, 15—66, 5 =	„ „	p. 70, 13—71, 4.
VII	de Orione ex Aristomacho	„	II 34 p. 72, 16—24 =	„ „	p. 93, 13—19.
VIII	de circulo lacteo . .	„	II 43 p. 80, 19—22 =	„ „	p. 104, 5—9.

Primum autem demonstrandum nobis est ne haec quidem interpretem Germanici ex Hygino sumpsisse. atque in ea quam sexto loco posui narratione ille Philiscum laudat quod nomen apud Hyginum non exstat. sed hoc argumentum fortasse levius est, cum nomen intercidisse possit. quare graviora circumspicienda sunt. adponam quae ex Musaeo narrari uterque testatur (V): Hygin. p. 62, 21 s. *Hyades autem adpellatae sunt, ut ait Musaeus, quod ex Atlante et Aethra Oceani filia sint filiae XV procreatae, quarum V Hyadas adpellatas demonstrat, quod earum Hyas fuerit frater a sororibus plurimum dilectus. qui cum venans a leone esset interfectus, quinque, de quibus supra diximus, lamentationibus adsiduis permotae dicuntur interisse; quare eas, quod plurimum de eius morte laborarent, Hyadas adpellatas. reliquas autem decem sorores deliberasse de sororum morte et earum septem mortem sibi conscisse; quare quod plures idem senserint, Pliadas dictas.*[17]) Schol. Germ. p. 75, 10. *Musaeus ita refert: Aethra ex Oceano* (debebat *Oceani filia ex Atlante*) *procreavit filias duodecim. ex quibus quinque stellis figuratas Hyadas; septem autem Pliadas. his unus fuit frater Hyas quem omnes sorores dilexere; quem in venatu alii ab leone, alii ab apro interfectum dicunt. quae flentes eum obierunt, Hyadas nuncupatas, alias Pliadas.* haec igitur ad eundem fontem, Musaeum dico, redire diserto utriusque testimonio constat; nihilominus de numero inter se dissentiunt, cum hic quindecim, ille duodecim filias fuisse tradat. nam ne in Hygino numerum corruptum reamur, verba *reliquas autem decem sorores* prohibent. quid multa? Musaeus duodecim Atlantis filias fuisse tradidit, quarum quinque, cum fratris mortem lugentes obiissent, de illius nomine Hyades, septem reliquae, quod quinque illis plures numero essent, Pliades nominatae essent; frigidissimum sane commentum, sed quo Musaeum nullo modo liberare possim, nec profecto frigidius, quam etymis et antiquis et nostris temporibus privilegio quodam

[17]) De singulis verbis v. Catasterismorum Fragmenta XIV.

concessum est. accedit autem Eudociae testimonium, de qua paullo post verba faciam; dicit enim p. 339 *ἑπτὰ δὲ διὰ τὸ πλείους εἶναι τῶν πέντε.* quocum consentit is, qui Hygini fabulas interpolavit[18]) 192 p. 123, 5 Schmidt *et quia plures erant, Pliades dictae.* iam igitur in eo, quo Hyginus utebatur exemplo — non Musaei certe, sed mythographi alicuius vel astrologi, quem adhuc ignoramus — in illo igitur exemplo $\widetilde{IB}$ numerus in $\widetilde{IE}$ corruptus erat.[19]) quare ille traditam narrationem ita immutare studuit, ut aliquas saltem partes tres illae puellae librarii errore Atlanti donatae haberent; et cum auctorem graecum *Πληϊάδες* a *πλείους* derivare vidisset, hoc ita in usum suum convertit, ut scriberet *quare quod plures idem senserint,* (nimirum in consilio satis ridiculo, quod Hyginus superstites decem sorores habuisse sibi finxit) *Pliadas dictas.* ita, ni fallor, omnia plana fiunt. quod vero Musaeum non quindecim, sed duodecim filias Atlanti tribuisse statuo, facio hoc primum, quod ratio postulare videtur, tum vero testimonio nisus scholiorum in Iliadem Σ 486. sed ipsa verba, qualia in Veneto A exstant, adscribam. *τὰς μὲν κατηστερισμένας ἐν τῷ μετώπῳ τοῦ Ταύρου Ὑάδας φασὶν εἰρῆσθαι, τὰς δὲ ἐπὶ τῆς ἡμιτόμου πλευρᾶς Πληϊάδας καλεῖσθαι. Ἄτλαντος γὰρ τοῦ Ἰαπετοῦ καὶ Αἰθρας τῆς Ὠκεανοῦ, καθά φησι Τίμαιος, θυγατέρες δώδεκα καὶ υἱὸς Ὗας. τοῦτον ἐν Λιβύῃ κυνηγετοῦντα ὄφις κτείνει· καὶ αἱ μὲν ε′ τὸν ἀδελφὸν θρηνοῦσαι ἀπόλλυνται διὰ λύπην, ἃς δι᾽ οἶκτον καταστερίσας ὁ Ζεὺς Ὑάδας ἐπωνόμασεν ἐπωνυμίᾳ τοῦ ἀδελφοῦ. αἱ δὲ ζ′ βραδέως μὲν, πλείους δὲ ἀποθανοῦσαι Πληϊάδες εἴρηνται.*[20]) quae verba vulgo inter Timaei fragmenta referuntur. cf. C. Müller F. H. G. I p. 198 p. 25. at si Hyginum et scholiastam Germanici contulerimus, non dubitabimus pro Timaeo Musaei nomen restituere. restat ut explicemus, unde de bestia quae Hyam necavit tanta inter testes dissensio orta sit, cum tamen omnes haec Musaeum narrare testentur. nam scholia in Iliadem, quibuscum scholia in Aratum v. 254 p. 73, 25 Bekk. consentiunt, serpentem, Hyginus leonem, scholiastes Germanici et Hyginianarum fabularum interpolator vel leonem vel aprum fuisse tradunt. diu in hac quaestione haesi, donec in hanc suspicionem incidi, quae etsi minime certa sit, fortasse tamen aliis quoque adridebit. Musaeum enim utpote poetam aut obscuriore aut generali vocabulo usum fuisse suspicor, quale

---

[18]) Inter Hygini fabulas passim narrationes occurrunt cum scholiis in Germanicum conscriptis satis accurate congruentes; quas interpolatas esse sumptum magis est quam demonstratum. en tibi certissimum argumentum. in fabula 192 duodecim Atlantis filiae commemorantur et Hyas *ab apro vel leone* occisus esse dicitur; de utroque consentit interpres Germanici, dissentit Hyginus in Astrologia, qui nihil de apro habet. qua re has particulas, utpote quae ex scholiis in Germanicum fluxerint, ad scholia illa emendanda iure nostro adhibere possumus. ac suspicor ea ipsa quae supra adscripsi verba in nostris scholiorum libris casu tantum intercidisse.

[19]) Simile vitium paullo post p. 64, 8 obvium, quod eadem ratione ortum esse puto. Hyginus Oriona Pliadas per septem annos persecutum esse narrat; debebat per annos quinque. cf. Et. magn. 675, 36 (= Pindar. fr. 52 Bergk), schol. Arat. v. 254 p. 73, 30. itaque in graeco libro, quem Hyginus compilavit, $\tilde{E}$ in $\tilde{Z}$ corruptum fuisse statuo.

[20]) De singulis verbis cf. Catalogorum Fragmenta III p. 43.

exempli gratia *κνώδαλον* vel *δάκος*; eum autem, qui huius narrationis argumentum pedestri oratione exprimeret, cum de vocabuli illius vi ac significatione dubitaret, complures explicationes attulisse.

Longiore hac digressione id certe evicimus ex Hygini Astrologia interpretem Germanici hanc fabulam nullo modo sumere potuisse. idem in ceteras quas supra notavi narrationes cadere, utriusque scriptoris verbis inter se conlatis unumquemque intellecturum esse spero; itaque hic singulas persequi supersedere possum. omnino haec scholia unam tantum narrationem exhibent, quae cum Hygini Astrologia in verbis quoque accuratissime consentiat. est ea de Lepore p. 95, 19—97, 8 = Hygin. II 33. sed hanc posteriore demum aetate ex Hygino interpolatam esse invictis argumentis ostendit Bursianus (Jahrb. f. class. Philol. 1866 p. 766 Anm. 13).

Iam igitur quaeritur, utrum praeter Catasterismos alium quoque librum pariter uterque adhibuerit an quaecunque inter se communia habent, ea omnia ad Catasterismos referenda sint. at praeter Aristomachi narrationem cetera omnia apud utrumque eundem in modum Catasterismorum frustulis interponuntur. considera v. c. ea, quae ex Amphide narrantur (I): eisdem Catasterismorum fragmentis haec narratio apud utrumque cincta est. hoc casu factum esse nullo modo potest. porro Panyasidis narratio (III) in Genicularii explicatione vix deesse potest, ut eam quondam in Catasterismis exstitisse paene necessarium sit. num credi potest utrumque scriptorem duorum operum frustula prorsus eodem modo disposuisse? Catasterismorum lacunas eisdem narrationibus explevisse? neque enim ei multum tribuendum est, quod Aristomachi fabulam (VII) Hyginus alio loco profert ac scholiastes Germanici. nam in hoc capite, quod est de Orione, Hyginum genuinum Catasterismorum ordinem deseruisse vel Epitomes comparatio docet. his igitur perpensis omnia ea quae Hygino cum interprete Germanici communia sunt ad Catasterismos satis confidenter refero. itaque accedunt Catasterismorum reliquiis octo illae, quas supra significavi, narrationes. ex eis tamen ea quae ad Arietem spectat (IV) ita comparata est, ut dubitationem movere possit. quare de ea paullo accuratius disputandum est.

Haec igitur Schol. Germ. p. 80, 4: *Phrixum autem perlatum Colchos arietem immolasse pellemque eius auream Iovi sacrasse; ideo eum pallere ait Eratosthenes, quod deposito vellere aureo in caelum sit receptus.* contra Hyginus duas fabulae formas profert II 20 *praeterea Phrixum incolumem ad Aeetam pervenisse, arietem Iovi immolasse, pellem in templo fixisse, et arietis ipsius effigiem ab Nube inter sidera constitutam habere tempus anni, quo frumentum seritur ideo, quod Ino tostum severit ante,*[21]) *quae maxime fugae fuit causa. Eratosthenes ait arietem ipsum sibi pellem auream detraxisse et Phrixo memoriae causa dedisse, ipsum ad sidera pervenisse, quare, ut supra diximus, obscurius videatur.* altera igitur forma eadem est, quam in scholiis Germanici invenimus, qua Phrixum arieti pellem detraxisse exponitur; alteram autem, qua arietem ipsum se pelle exuisse narratur, apud Era-

[21]) De variis lectionibus confer Catasterismorum Fragmenta XIX.

tosthenem exstitisse ipse Hyginus testatur; exstat autem eadem in Epitome 19 ᾧ (*τῷ Φρίξῳ*) *καὶ ἐκδὺς ἔδωκε τὴν χρυσῆν δοράν, ὅπως μνημόσυνον ἔχῃ· αὐτὸς δὲ εἰς τὰ ἄστρα ἀπῆλθεν, ὅθεν ἀμαυρότερον φαίνεται.* iam si quis Hygini verba consideraverit, Eratosthenis narrationem alteri historiolae, quae ex alio fonte fluxerit, opponi, in Germanici autem scholiis nihil praeter verba *ideo eum pallere — sit receptus* ex Catasterismis sumpta esse suspicetur. quod si verum esset, exemplum haberemus historiolae, quae Hygino cum Germanici interprete communis esset neque tamen ex Catasterismis fluxisset; ita ut sententia, quam supra protuli, mirum quantum infringeretur. at felicissimo casu demonstrare possumus priorem quoque fabulae formam in Catasterismis commemoratam fuisse, etsi in Epitome altera tantum servata sit. haec enim legimus in scholiis Arateis ad v. 225 p. 70, 18 *τοῦτον τὸν κριὸν Ἐρατοσθένης εἶναί φησι τὸν Ἕλλης καὶ Φρίξου, ὃν θύσας τῷ φυξίῳ Διὶ Φρίξος τὴν δορὰν ἔδωκεν Αἰήτῃ· διὸ καὶ τοὺς ἀστέρας αὐτοῦ ἀμαυροῦσθαί φησιν ὡς ἐκδαρέντος.* nam ubi in his scholiis Eratosthenes commemoratur, Catasterismos intellegi mox perspiciemus; accedit, quod ultima verba et Epitomes ultimis et eis quae in scholiis Germanici Eratosthenis nomine adferuntur respondent. quod vero Hyginus alteri tantum fabulae formae Eratosthenis nomen praescripsit, fecit hoc, quia priori Catasterismorum narrationi nonnulla aliunde addiderat. nam verba *et arietis ipsius effigiem — fugae fuit causa,*[22]) cum neque apud Germanici interpretem exstent et ab ipsa Hygino in fabularum libro II similia narrentur, a Catasterismis aliena, ipsi Hygino propria esse censeo, qui ad primarium fontem reversus auctorem suum nominat. similiter II 21, ubi Pherecydis narrationi, quam in Catasterismis invenit, nonnulla ex Asclepiade quem ab eo lectum esse Epimetro II demonstrabo inserit, ad Pherecydem reversus iterum nomen eius diserte adscribit: *has autem Pherecydes Atheniensis Liberi nutrices esse demonstrat numero septem ..... hae dicuntur a Lycurgo fugatae et praeter Ambrosiam omnes ad Thetim profugatae, ut ait Asclepiades. sed, ut Pherecydes dicit, ad Thebas Liberum perlatum Inoni tradiderunt.*

Sed redeo ad Germanici interpretem; nam ut in Hygino nonnulla Catasterismorum frustula indagavimus, quae ab interprete Germanici praetermissa sint, v. c. Aglaosthenis de delphino narrationem (Hygin. II 17 p. 56, 25—57, 11 cf. supra p. 8), ita apud illum quoque operis illius fragmenta latere possunt, quae Hyginus omiserit. quae res ut ad liquidum perducatur, paullo accuratius in fontes eius inquirendum est. ex his tamen Isidorum et Ovidium eximendos esse censeo. Isidori mentionem p. 101, 3 a protervo interpolatore additam esse arbitror. neque tamen cum G. Beckero (Prolegomena in Isidorum p. X) Hispaliensem episcopum intellegendum esse negem,

---

[22]) Bursianus (Sitzungsber. d. k. bayr. Akademie 1876, 1 p. 22) Reginensis et Monpessulani vestigia secutus scribi iubet *Ino quod tostum severit ante.* quae verba cum nobis pro veteris poetae latini fragmento vendit, vereor ut multos sectatores inveniat. vellem virum doctissimum, qui de Hygini libris hac aetate unus bene meruit, demonstrasset aut in Astrologia aut in Fabulis ullam narrationem poetae latino deberi. mihi quidem ad graecos auctores omnia redire videntur. ceterum cf. Epimetrum II.

praesertim cum *Isidorus in Naturalibus vel in Physicis* laudetur. quod vero de hac re nihil in Isidori de natura rerum libello exstat, interpolatorem eadem temeritate mentitum esse puto atque illum, qui in Epitome XXIII Hipparchi nomen inseruit, qua de re paullo post dicturus sum. sed quidquid statuetur, hoc certum est neque Hispaliensis neque alius nescio cuius Isidori in ceteris scholiorum Basileensium partibus aut volam aut vestigium adparere. ac vix est quod moneam Hispaliensem vel ideo exscriptum esse non posse, quod multo postea vixit, quam haec scholia composita sunt. similiter verba p. 58, 18 *Ovidius a Iunone ob peli-catum in ursam transfiguratam eam scribit* a lectore Metamorphoseon II 466 s. aut Fastorum II v. 177 s. memori addita esse puto; nam Ovidium, utpote cuius ceteroquin nulla mentio occurrat ab eo qui haec scholia composuit adhibitum esse nego.

Sed adhibitus est Nigidius Figulus; immo eius vestigia satis late patent, cum nomen ipsum non minus decem historiolis[23]) praescriptum sit. sunt autem hae:

I de Orione a scorpione interfecto p. 63, 13 — 64, 6.
II de Virgine p. 65, 20 — 66, 5.
III de Geminis p. 68, 18 — 69, 13.
IV de Leone p. 72, 1 — 14.
V de Tauro p. 74, 12—20.
VI de Ariete p. 80, 8 — 81, 1.
VII de Piscibus p. 81, 20 — 82, 10.
VIII de Aquario p. 85, 13 — 86, 3.
IX de Capricorno p. 87, 11 — 89, 12.
X de Sagittario p. 90, 10—15.

Vides haec omnia in signiferi orbis sideribus explicandis versari; unde non inepte concludi potest, Nigidium de duodecim tantum signis egisse. quare quae de reliquis sideribus in scholiis leguntur, ad Nigidium referri non debent. sed quattuor ex illis Nigidii fragmentis (II. III. VIII. X) singulis narrationibus excipiuntur, de quarum origine dubitare possis. nam primum postquam Virginem Iustitiam esse ex Nigidio expositum est, verbis: *sunt qui aliter memorant* praemissis Erigonae historia enarratur p. 66, 5 — 67, 14, similis in universum eis, quae de eadem Hyginus ex Catasterismis profert, in singulis valde dissimilis. deinde Geminorum duabus ex Nigidio explicationibus prolatis tertia adiungitur, qua ad Herculem et Thesea hoc signum pertinere statuitur p. 69, 13 — 70, 5. Aquarium a Nigidio pro Deucalione habitum esse eis, quae sub VIII notavi, verbis demonstratur; sed continuo additur *eundem ab antiquis Aristaeum Apollinis filium* dici, cuius historia longius exponitur, ea quoque Hygini narrationi II, 4 p. 37, 14 s. in universum non dissimilis, in singulis admodum diversa. denique postquam Croti fabula ex Nigidio exposita est, adnotatur, alios Sagittarium pro Chirone habere p. 90, 15 — 91, 1;

[23]) Peculiari libello has composuit Breysigius de Nigidii Figuli fragmentis apud schol. Germ. servatis Berolin. 1854 neque tamen multum profecit. certe ille verba p. 68, 2 *hi dicuntur — alter citharam habet* Nigidianis adnumerare non debebat, cum eadem praeter ultima verba in Hygino II, 22 legantur.

quod satis mirum est, praesertim cum paullo antea in disputatione ex Catasterismis hausta eadem opinio iam indicata, sed statim reiecta sit. iam observa, quaeso, sententiarum copiam in quattuor his narrationibus obviam, considera dicendi genus eo, quod plerumque in his scholiis occurrit, multo uberius atque ornatius; desunt errores, quibus particulae e graeco translatae fere scatent; simillima est oratio fragmentis Nigidianis. ut uno verba transigam, quattuor hae narrationes et ipsae ex Nigidio fluxerunt.

Ac ne primus quidem hoc statuo, sed idem dudum a Woelfflino (de L. Ampelii libro memoriali p. 24 s.) et a Büchelero (Rhein. Mus. XIII p. 117 s.) intellectum est. qui cum in Ampelii capite altero omnia ea, quae in scholiis Nigidii nomine praescripto narrantur, contineri vidissent, totum hoc caput ex Nigidio fluxisse rectissime statuerunt.[24]) iam vero Ampelius e quattuor illis, de quibus modo locuti sumus, historiolis tres[25]) exhibet, unde eas quoque Nigidianas esse evincitur. alterum non spernendum opinionis nostrae firmamentum ex Dositheo peti potest, neque id Woelfflinum fugit; sed cum ille hac in re nimis brevis sit, nos paullo accuratius disputabimus. Dositheus igitur fabulis, quas ex Hygini Genealogiis se compilasse ipse testatur, quattuor capita praemisit ab Hygino aliena.[26]) quorum quartum quod de duodecim signis agit magnam partem ex Nigidio fluxisse verborum quae iam adponam comparatio docebit:

Dosithevs.[27])	Nigidivs Figvlvs in Schol. Germ.	Ampelivs II.
I.	p. 80, 12.	
Κριὸς ὅτι πηγὴν εὗρεν ὁδοιποροῦντι Διονύσῳ.	(aries) *casu repentino adparuit Liberumque et exercitum dux ad aquam divinitus perduxit.*	*aries ei* (Libero) *aquam demonstravit.*
II.	p. 74, 12.	
Ταῦρος ὑπὸ Ποσειδῶνος τῷ Διὶ συνεχω-	*hunc* (taurum) *Iupiter a Neptuno fratre*[28]) *dicitur per gra-*	*taurus beneficio Iovis, quem Iupiter a Neptuno*

[24]) Ampelium non scholia in Germanicum, sed ipsum Nigidium exscripsisse, et ex eis quae supra disputavimus elucet et invictis argumentis ostendit Büchelerus l. s. p. 180.

[25]) Ampelius Aristaei fabulam omisit. quod vero Büchelerus p. 180 quemquam praeter Ampelium Geminos pro Hercule et Theseo habuisse negavit, mero errore factum esse puto. eandem enim explicationem in scholiis in Germanicum, procul dubio ex Nigidio, adferri iam supra monui.

[26]) Woelfflino concedere nullo modo possum haec quoque Dositheum ex Hygino excerpsisse; nam si illo Nigidium legisset, certe in Astrologia adhibuisset; quod secus factum esse inter omnes constat. fabulae 133 et 197, quas Woelfflinus Hyginum Nigidio debere putat, ex eis sunt, quae, ut adnot. 18 monui, interpolatae sunt ex scholiis in Germanicum.

[27]) Dosithei fragmentum apud Boeckingium (Dosithei magistri interpretamentorum liber tertius Bonnae 1862) extat; nunc Schmidtius quoque Hygini fabularum editioni praefixit p. LV.

[28]) *Iupiter Neptuno frater* BP. corr. Kiesslingius, cuius coniectura scholiis Strozzianis confirmatur.

ρήθη, ὅτι διάνοιαν ἀνθρωπίνην εἶχεν (vulgo *ἔσχεν*).	*tiam*[29]) *abduxisse, qui figuram tauri, sensum humanum haberet.*	*fratre, per gratiam abduxit, qui sensum humanum figura tauri continebat.*
V.	p. 72, 8.	
Λέων ὁ Νεμεαῖος γρώμῃ Ἥρας, ὃν ἔσφαξεν Ἡρακλῆς.	*Hercules ..... leonem interfecit ..... quapropter leonem caelesti memoria dignari voluntate Iunonis arbitrantur.*	*Hercules ..... leonem interfecit .... leonemque caelesti dignitate est honorata* (scil. Iuno).
VIII.	p. 64, 3.	
.... (Σκορπίος[30]*) κελεύσει Ἀρτέμιδος Ὠρίωνα ἔσφαξεν, ὃν ὁ Ζεὺς ἠθέλησεν ἀναγενᾶσθαι (?).*	*itaque Dianam misisse scorpionem qui Orionem vita privaret et postea impetrasse, ut scorpios XII signorum memoria constitueretur. Iupiter (memoria) porro Oriona vita privatum sideribus constituit.*	*Scorpius, qui dicitur ad perniciem Orionis... voluntate Dianae natus ...Iupiter et scorpionem et Orionem inter sidera recepit.*
X.		
Αἰγόκερως, ὅτι Τυφῶνα ἔσφαξεν.	respondent quae p. 87, 11 — 89, 12 leguntur; sed Dositheus Nigidianae narrationis summam tantum parum diligenter indicat.	p. 3, 24—29 Woelfflin.
XII.	p. 81, 20.	
Ἰχθύες· οὗτοι φὸν μέγα ἐκ τῆς θαλάσσης[31]*) προήνεγκαν, ὅθεν ἐξῆλθεν ἡ Συρία θεός, ἥτις ἐμήνυσε τοῖς ἀνθρώποις, ὅσα καλὰ ἦν.*	*Nigidius hos dicit pisces in Euphrate flumine ingentis magnitudinis ovum invenisse, volventes eiecisse in terram, atque ibi*[32]*) columbam insedisse et post aliquot dies exclusisse deam Syriam benignissimam maximeque misericordem.*[33]*) quae pulcra quaeque ad utilitatem hominibus*	*nam dicitur et in Euphrate fluvio ovum piscis *** in ora fluminis columba adsedisse dies plurimos et exclusisse deam benignam et misericordem hominibus ad bonam vitam.*

[29]) *per gratiam* addidi ex scholiis Strozzianis.

[30]) *Ζυγὸς κελεύσει* vulgo; *Σκορπίος* addidi et lacunam signavi; intercidit quae de Libra narrata erat fabula quam vide apud Ampelium.

[31]) Neglegentia Dosithei haec discrepantia orta est. similis occurrit in schol. Arat. v. 239 p. 72, 2. cf. Epitom. XXXVIII.

[32]) *ibi* scripsi, *ita* libri.

[33]) *misericors* libri, corr. Büchelerus.

verterentur,[34]) *ea dicitur inquisisse.*[35])

dubitari potest de consensu in septimo signo:

VII.	p. 90, 10.	
Τοξότης· οὗτος (vulgo *αὐτὸς*, corr. Woelfflinius) *μετὰ τῶν Μουσῶν ἀνετράφη· ἐλέγετο δὲ Κρότος· οὗτος ἐγένετο διφυής* (vulgo *εὐφυής*).	*Nigidius de Croto eadem dicit* (nimirum ac paullo antea ex Catasterismis narravit), *sed non conversatum Musis, sed ... procul abditum repentino plausu oblectasse*[36]) *canentes .... quod esset nutricis earum filius.*	*Sagittarius Crotos filius nutricis Musarum, quem Musae semper dilexerunt eo, quod plausu et lusu sagittarum eas avocaret.*

Nigidius igitur Crotum cum Musis conversatum esse negavit. at quo modo tum simul cum eis educatus esse potest? ni fallor, nihil aliud ille indicare voluit, nisi Crotum non coram Musis, sed procul abditum plausisse; nam cum mater eius ipsius Nigidii testimonio nutrix Musarum fuerit, cum simul cum eis adolevisse consentaneum est. de Cancro interpres Germanici Nigidium non consuluit, sed ex Ampelio discimus illum alia non tradidisse, quam quae in Catasterismis quoque narrata erant. itaque possunt certe Dosithei verba, corrupta sane necdum probabiliter restituta, *Καρκίνος, ὅτι μεθ' Ἡρακλέους ὕδραν ἔσφαξεν* ex Nigidio excerpta esse. Libram scholiastes, quoniam Germanicus Aratum secutus undecim tantum signa enumerat, omisit. iam igitur tria restant signa, de quibus quae Dositheus narrat, mirum in modum tribus ex illis quattuor narrationibus respondent, quas ex Nigidio scholiastam sumpsisse supra statui. sed ipsa verba considera:

Dosithevs.	Nigidivs Figvlvs in Schol. Germ.	Ampelivs II.
III.	p. 69, 13.	
Δίδυμοι· Ἡρακλῆς καὶ Θησεύς, ἐπειδὴ ὁμοιοτρόποις ἀθλήμασιν ἐνεγένοντο.	*sunt qui dicunt Herculem et Theseum esse ... namque Hercules duodecim athlis perfectis*[37]) e. q. s.	*Sunt qui dicant Herculem et Theseum, quod similia athla sint adepti.*

---

[34]) *ad homines pertinebat. quae multaquae quae ad utilitatem hominibus uterentur* (*verterentur* Urbinas) BP. *ad homines pertinebat,* quod pro glossemate habeo, delevi. Büchelerus contra, verbis *quae ad utilitatem hominibus uterentur* deletis, locum ita constituit *multaque quae ad homines pertinebant.*

[35]) *inquisisse* BP. *invenisse* S, quod fortasse praestat.

[36]) *oblectasse* Breysigius. *oblectabat* BP. *oblectare* Urbinas.

[37]) Par est Nigidium etiam de Thesei athlis disseruisse; sed ea interpres Germanici non excerpsit.

VI.	p. 66, 5.	
Παρθένος· Ἠριγόνη, ἥτις σφαγέντος τοῦ πατρὸς ἑαυτὴν ἀνεῖλεν.	*sunt qui aliter memorent. Erigonen Atheniensem Icarii filiam fuisse . . . ibique sibi laqueo mortem adscivit.*	*sunt qui Erigonam Icari filiam Atheniensem dicunt . . . . ipsa vero se suspendit laqueo.*
XI.	p. 86, 6.	
Ὑδροχόος· οὗτος πάσας τέχνας ἤδει καὶ ἀνθρώπους ἐδίδαξεν.[38])	*Aristaeus dicitur omnibus modis artibusque adfinis fuisse, quibus artibus ceteros homines ad bonas fruges utilitatemque perducebat.*	omittit.

iam cum Dositheum septem signorum explicationem ex Nigidio sumpsisse certum, octavum indidem habere saltem probabile sit, trium reliquorum explicationem eodem referre non dubitabimus. haec igitur sunt quae ex Nigidio in scholia Germanici recepta sunt frustula.

Duos adhuc auctores[39]) ab interprete Germanici adhibitos esse intelleximus, Eratosthenem, sive genuinus est sive personatus, et Nigidium Figulum. iam una tantum maioris ambitus fabula restat auctori suo nondum tributa; quae tamen cum ad duodecim signa non pertineat, sed de Canicula agat, ad Nigidium referri nequeat. extat ea p. 94, 16 — 95, 17; redit autem, ut diserto scholiorum testimonio constat, ad *Amphiam* (sic nomen in libris extat) *tragoediarum scriptorem,*[40]) quem nullum alium esse, quam Amphim comicum vidit Meinekius Fragm. com. graec. I p. 404. atqui ex eodem Amphide in certo Catasterismorum fragmento Callistus fabula enarratur; cf. supra p. 12. itaque haec quoque narratio summa cum probabilitate ad Catasterismos refertur.

---

[38]) Vix est, quod moneam haec verba neque in Deucalionem neque in Ganymedem — ita enim a nonnullis Aquarius explicabatur — sed in unum Aristaeum quadrare.

[39]) Doctissimum illud, quod ad v. 1 adscriptum est, scholium, quo cur a Iove Aratus incipiat exponitur, ex Arati commentario excerptum esse et per se patet et conlatis scholiis Arateis confirmatur. ac fortasse hoc scholium iam antiquitus eodem volumine, quo Eratosthenis Catasterismi, quos ipsos Arati commentarii instar esse mox intellegemus, continebatur. utor hac occasione ut scholio illi vitium demam. p. 56, 7 legimus *cum dicit Herodotus Iovem dictum esse aera et Crates eiusdem esse opinionis — Philemonem comicum dicit.* Herodoti verba I, 131, quae Breysigius in adnotatione exscripsit, cum ad Persarum opinionem spectent, huc non facere unumquemque facile concessurum esse puto. itaque aliud nomen latet. nil iuvat Suringarii *Hesiodus;* nec Kiesslingius *Zenodotus* restituendum esse mihi persuasit. de stoico sermonem esse et res ipsa et schol. Arat. v. 2 docent. *καὶ γὰρ τὸν ἀέρα Δία λέγουσιν. οὗτός ἐστι διὰ πάντων διήκων κατὰ τοὺς Στωικούς.* iam in interpretum Arati catalogo, quem ex codice Vaticano Victorius edidit simul cum Hipparcho Florent. 1567, Heliodorus stoicus commemoratur. ex eis autem, qui illic enumerantur, paucissimi re vera Aratum commentati sunt; est potius catalogus eorum scriptorum, quorum nomina in scholiis Arateis commemorantur. iam intellexisti me pro Herodoto Heliodori nomen restituere velle.

[40]) Simili errore p. 84, 21 Cratinus tragoediarum scriptor vocatur.

Reliqui sunt tres loci:

p. 68, 6. *alii volunt Zethum et Amphionem esse; ideo unus zonam,*[41]) *alter citharam habet.*

p. 75, 7. *Hyadas adpellavit* (scil. Iupiter), *quod nascente Libero eas invenerit; temporis signum posuit, quod sint pluviales — ὕειν enim pluere est — et earum ortus imbres concitet.*

p. 76, 2. *Myrtilus autem Hyadas quinque filias Cadmi esse dicit.*

ex his ea verba quae primo loco posui sola ex Nigidio fluxisse possunt, cum ad unum ex XII signis, nimirum Geminos, spectent; at re vera illinc sumpta esse ideo minus probabile est, quod Catasterismorum fragmentum continuo excipiunt, a Nigidianis autem stellarum catalogo secernuntur. reliqui duo loci longae Hyadum explicationi, quae ex Catasterismis fluxit, interpositi sunt. iam si quis haec tria frustula ex tertio scriptore, qui et ipse de sideribus egit, exscripta esse statuat, faciat, ut libuerit, sed videat, quo modo explicet, cur hic scriptor non amplius ter adhibitus sit. nos iure nostro haec quoque ad Catasterismos referre nobis videmur.

Haec igitur sunt Catasterismorum fragmenta, quae quidem in scholiis Basileensibus servata sunt. pergo ad ea scholia, quae Breysigio praeeunte Sangermanensia vocamus. quorum quae fabulas complectitur pars — nam cetera hic non curamus — a Basileensibus ita distat, ut recte Breysigio singularis libelli speciem habere videatur. quare quam maxime ille laudandus est quod hanc scholiorum Sangermanensium partem seorsum excudendam curavit p. 112, 8 — 182, 23. desunt autem in his scholiis Nigidiana omnia; quae vero narrantur fabulae, eae praeter quattuor minoris ambitus additamenta omnes ex eis sunt quas in Catasterismis extitisse supra evicimus; item fere omnes in Basileensibus quoque extant, nisi quod de Aesculapio p. 121 paullo ampliora narrantur quam in illis, nec tamen plura quam in Epitome, de tauro p. 135, 17—20 ea quoque adfertur fabulae forma, quae, cum in Epitome extet, in Basileensibus eo tantum consilio omissa est, ne quae paullo antea ex Nigidio adlata erant, aliis verbis repeterentur, denique de lepore p. 170, 17 s. eadem proferuntur, quae in Epitome extant, cum illa scholiorum Basileensium pars ex Hygini Astrologia interpolata sit. quo consensu nisi vulgo hanc scholiorum Sangermanensium partem aliam Basileensium recensionem esse dicunt; id quod, si non prorsus falso, at certe minus accurate dictum est. est enim alia sive Catasterismorum sive epitomes eorum versio — nam hoc nunc quidem in medio relinquimus, — cui cum scholiis Basileensibus praeter fontem nihil est commune. id quod demonstratu facillimum est.

Iam monui in Ursae maioris stellarum catalogo *ὠτίων*, ut nostri codices recte habent, in aliis libris corruptum fuisse in *νώτων*. atqui Basileensia *in singulis umeris*, Sangermanensia *in singulis auribus* habent.

---

[41]) Verba *unus zonam* in Basileensi et Parisino omissa ex Strozziano addidi; prorsus enim necessaria sunt. ceterum zonam eam intellegas, qua Zethus Dircen ad taurum adligavit. huc ea quoque faciunt quae ex ignoto auctore Hyginus adfert II, 22 p. 64, 22 *alii dixerunt Herculem esse et Apollinem*, nimirum cum cithara illum, hunc cum zona Amazonis.

In eodem catalogo *ῥάχις*, quod in Epitome extat, in Basileensibus de summa cauda, in Sangermanensibus de spina intellegitur.

In Epitome III Draco in capite tres, in corpore duodecim stellas habere dicitur; idem legimus in Sangermanensibus. in Basileensibus contra corpori decem, capiti quinque stellae tribuuntur ex Germanici v. 56, 57; idem apud Hyginum fit, qui Catasterismorum rationem, ut saepius, Aratea commutavit.

Prorsus mire in Sangermanensibus p. 125, 18 Virgo Iovis et Dianae filia dicitur, cum in Basileensibus et in Epitome verae matris Themidis nomen extet. adparet in graeco exemplo *Ἀρτέμιδος* pro *Θέμιδος* scriptum fuisse.

Sub Ursa minore in Epitome II de una tantum Iovis nutrice legimus, cui nomen est Helice, cum et in Hygino et in Basileensibus duas Helicen nimirum et Cynosuram commemoratas inveniamus, unde in Catasterismis quoque utriusque mentionem factam esse sine ulla dubitatione concludimus. at Sangermanensia hac in re cum Epitome faciunt, discrepant a Basileensibus.

Aglaosthenis nomen in Epitome XXX in *Ἐρατοσθένης* abiit; idem mendum in Sangermanensi recurrit p. 161, 18, cum Basileensia verum nomen servarint.

Similiter in Epitome XXV *Κράτης* legimus, cum Cratini nomen restituendum sit. atqui Basileensia p. 84, 21 *ut ait Cratinus tragoediarum scriptor,* Sangermanensia p. 153, 14 *sicut refert Crates poeta* exhibent.

Nullo negotio haec exempla augere possum; sed sufficiunt, ut intellegas scholia Sangermanensia aut ex Basileensibus aut ex ampliore latinorum scholiorum redactione nullo modo fluxisse posse, sed versa esse ex exemplo graeco; id quoque perspicitur multa menda huic exemplo cum nostris Epitomes codicibus fuisse communia. iam hominem illum, qui haec ex graeco in latinum transtulit, graecae linguae imperitissimum fuisse omnis pagina clamat. *Νύμφαι Δωδωνίδες* illi *Dodoniades sponsae* sunt p. 136, 19; Oenopionem *Vinolentum* vocat p. 163, 16. itaque fieri non potuit quin et graeca verba saepissime male intellegeret et fabularum monstra proferret. velut Epitomes XI verba *οὗτος δοκεῖ ἐν τοῖς ἄστροις τεθῆναι δι' Ἥραν, ὅτι μόνος Ἡρακλεῖ τῶν ἄλλων συμμαχούντων, ὅτε τὴν ὕδραν ἀνῄρει, ἐκ τῆς λίμνης ἐκπηδήσας ἔδακεν αὐτοῦ τὸν πόδα* ita reddit p. 128, 23 *cancrum namque ideo fabulae locatum inter astra aiunt, quoniam Herculem aliis auxiliantem et hydriam de fonte Lernaea* (*neraida* libri) *auferentem saliens in pede percusserit.* etiam lepidiora sunt, quae p. 160, 15 de Sagitta legimus: *iaculum autem est, quo dicunt omnes cygnos ab Apolline interfectos ... eo quod Iovis fulmen fugati fecissent.*[42]) egregiam profecto fabulam, quam miror a mythologis nostris neglectam esse. vix est, quod moneam in graeco libello, ut in Epitome XIX, scriptum fuisse *ᾧ δὴ τοὺς Κύκλωπας τῷ Διὶ κεραυνὸν ἐργασαμένους ἀπέκτεινε.* ceterum sermonis barbaries infimam aetatem indicat; Christianum inepta iudicia produnt, quae pia quadam ira incensus passim fabulis admiscet; velut p. 151, 19 *qui cum Solem iuxta illorum falsissimam opi-*

[42]) Ni fallor, *fabricati essent* in textu scriptum, *fecissent* superscriptum erat; narrationis elegantiam postea perfecit librarii alicuius sagacitas, qui pro *fugati fecissent* scripsit *furati fuerant;* ita enim in libro Strozziano p. 160, 1 legimus.

nionem maximum deorum honoraret vel p. 130, 18 *talis quidem extitit gentilium socordia, qui deos suos non propriis armis nec viribus, sed asinorum rugitibus adeptos fuisse opinabantur victoriam.*

Sed satis dictum de hominis illius stupiditate; iam de libro, quem vertit, pauca addamus; neque enim magistellum illum integros Catasterismos habuisse statuam; immo ut exemplar eius cum Epitome nonnulla vitia communia habuisse iam intellexi-mus, ita omnino nostris eius codicibus simillimum fuisse puto, nisi quod paullo integrius fuit. continebat enim cum Amphidis [43]) (p. 113, 16—22) et Aristomachi [44]) (p. 164, 17—21) narrationes, tum Arcadis fabulae finem [45]) (p. 123, 22 — 124, 18), quae omnia in ea, quam nos tenemus, Epitome omissa sunt. etiam in singulis fabulis paullo amplius fuisse videtur, nam omnia ea, quae scholia Sangermanensia plura habent, in Catasterismis extitisse aut Hygini aut scholiorum Basileensium testimonio constat. sed non satis accurate dixi omnia; restant enim quattuor quae iam indicavi additamenta, quae num et ipsa ex Catasterismis fluxerint nunc nobis inquirendum est.

Primum igitur p. 149, 16 de septima Pliade, quam obscuriorem esse constat, haec legimus: *quam quidam fabulose gentilium prae timore Orionis fugisse putant. quidam a Sole persecutam arbitrantur vocatamque Electram, quae non sustinens videre casus pronepotum fugerit. unde et illam dissolutis crinibus propter luctum ire adserunt et propter comas Cometem adpellari.* quid obsecro hoc est? Solemne dicit Electram persequi? quid multa? graeca verba, ut solet, perperam intellexit; in exemplo eadem fere verba invenit, quae nos in scholiis Arateis legimus ad v. 259 p. 74, 38 *ἐν τῷ εἰς Θεόπροπον ποιήματί φησι* (scil. *Ἄρατος*) *τὴν Ἠλέκτραν φυγεῖν καὶ μὴ ὑπομεῖναι ἰδεῖν τὴν Ἴλιον ἁλισκομένην καὶ τοὺς ἐκγόνους δυστυχοῦντας.*[46]) at pro *Ἴλιον* legit *Ἥλιον*;[47]) hinc turbae illae ortae; nam cum et fabularum admodum nescius et stolidissimus esset, vertit tamquam scriptum esset *τὴν Ἠλέκτραν φυγεῖν καὶ μὴ ὑπομεῖναι τὸν Ἥλιον.* itaque ex graeco libro neque alio, quam ceteras fabulas, has historiolas versas esse summa cum probabilitate statuimus. at desunt in scholiis Basileensibus: num igitur posteriore tempore interpolatae sunt? at quis talia interpolaverit? multo rectius, opinor, has quoque narrationes ex Catasterismis in illo Epitomes exemplo servatas fuisse suspicabimur. quae suspicio Hygini testimonio egregie confirmatur, cum ille II, 21 p. 63, 22 — 64, 12 utramque narrationem, ut par est, paullo ampliorem exhibeat.

Hygini testimonio in ceteris tribus additamentis destituti sumus. sed quae p. 177, 19 de Ara plura leguntur *idem Iupiter igneum sibi velamen ne eius fulminum potentia deprehenderetur adhibuit,* ea, quamquam scholiastes hic quoque graecum male intellexisse ac prorsus inepte reddidisse videtur, tamen adparet his

---

[43]) Cf. supra p. 12.
[44]) Cf. supra p. 12.
[45]) Cf. supra p. 3.
[46]) Verba, ut soleo, ex VM dedi; nisi quod cum Bekkero *φυγεῖν* pro *φεύγειν* scripsi.
[47]) Scaligeri praeclaram coniecturam in Barbari chronico memineris.

scholiorum Arateorum verbis respondere ad v. 402 p. 86, 38 *ἔχον* (sc. *τὸ θυτήριον*) *ἐπὶ τοῦ πυρὸς κάλυμμα, ὅπως μὴ ἴδωσι τὴν τοῦ κεραυνοῦ δύναμιν.* at in illo scholio non solum Epitomes caput XXXIX ad verbum exscriptum, sed diserte Eratosthenis nomen historiolae praescriptum est; quare iam Koppiersius ea, quae attuli, verba in Epitome addenda esse censuit.

Tum p. 141, 14 de Equo legimus: *quidam* (scil. inter sidera constitutum esse dicunt), *quod Iovis equus* fuerit; quae his scholiorum Arateorum verbis (ad v. 208 p. 70, 8) *ἱερὸς δὲ ὁ ἵππος .... ὅτι βροντήν τ' ἀστεροπήν τε φέρει Διὶ μητιόεντι.*[48]) *εἴληφε δὲ τὴν ἱστορίαν παρ' Ἡσιόδου* (cf. Theogon. 286) respondere videntur. itaque haec quoque ad Catasterismos referenda esse censeo.

Restant quae p. 150, 19 de lyrae inventione legimus: *regrediente igitur Nilo ad suos meatus inter cetera animalia relicta etiam testudo est, quae cum putrefacta fuisset et nervi eius extensi intra corium remansissent, percussa a Mercurio sonitum dedit. in cuius similitudinem Mercurius lyram fecit.* haec igitur ceterorum testium nemo habet; quare posse interpolata esse non negaverim. sed cum eam, quae in his scholiis versa est, epitomen Catasterismorum ceteroquin nulla omnino interpolatione inquinatam fuisse intellexerimus, haec quoque ad Catasterismos referenda esse quamvis dubitanter statuo; quod si recte statui, omnes, quae in scholiis Sangermanensibus leguntur, fabulas ex Catasterismis haustas esse constat.

De scholiis Strozzianis in Epimetro primo dicturus sum; Arati porro, quem vocant, interpres latinus, quantum ex specimine a Breysigio p. 59 in adnotatione adlato iudicare licet, et ipse Epitomen suo Marte in latinum transtulisse neque vero aut scholia Basileensia aut Sangermanensia cognovisse videtur.

Ceterum ut magister, qui scholia Sangermanensia composuit, ita etiam Eudocia Epitomen paullo ampliorem, quamquam vix integros Catasterismos, habuisse videtur. constat enim illam multas historiolas cum Epitome ad verbum congruentes exhibere, quas singulas hic enumerare nihil attinet, cum et in Westermanni editione et in nostra Fragmentorum conlectione omnes diligenter adnotatas invenias. at unam habet, quae in Epitome desideratur, fabulam; est ea de Hyadibus p. 407. *Ὑάδες νύμφαι αἱ καλούμεναι Δωδωνίδες Διονύσου τροφοί· αἳ τῇ Ἰνοῖ διὰ τὸν τῆς Ἥρας φόβον παρακατέθεντο τὸν Διόνυσον, ὅτε Λυκοῦργος αὐτὰς ἐδίωξε συμπεριούσας ἐκείνῳ καὶ κατανεμούσας τὴν ἄμπελον. τιθέασι δέ τινες αὐταῖς ὀνόματα Ἀμβροσίαν καὶ Εὐδώρην καὶ Φαισύλην καὶ τοιαῦτά τινα.*[49]) atque haec quidem ad Catasterismos redire ex Hygini et scholiorum Basileensium consensu iam supra conclusimus; sed pergit Eudocia *οἱ δέ φασιν ὅτι Ὑάδες Βάκχαι τιθῆναι τοῦ Διονύσου καὶ τὸν Διόνυσον Ὕην ἀπὸ τούτων καλοῦντες.* iam quae secuntur verba, docent non de Bacchi, sed de Hyadum nomine explicando agi. itaque Eudocia scribere debebat *καὶ τὸν Διόνυσον Ὕην καλοῦντες· ὅθεν καὶ αὗται οὕτως ἐκλή-*

---

[48]) Ita MV, nisi quod *στεροπήν* M *ἀστραπήν* V, quod ex Hesiodo correxi. *βροντὴν καὶ ἀστραπὴν φέρει, καθὸ ἐμφερής ἐστι τῷ Διΐ* Bekkerus.

[49]) De singulis verbis v. Fragmenta.

θησαν vel simile quid. eadem habent scholia Aratea ad v. 172 p. 67, 7 *ἡ δὲ προσωνυμία ἐστὶν, ὅτι τὸν Διόνυσον ἀνεθρέψαντο· Ὑης δὲ ὁ Διόνυσος.* atque eodem procul dubio spectant verba interpretis Germanici, quae iam supra p. 21 ad Catasterismos rettulimus p. 75, 8 *Hyadas adpellavit, quod nascente Libero eas invenerit.* at ex his adpellationis causa non perspicitur; diserte enim dicendum erat Liberum Hyen nuncupatum esse; itaque aut nonnulla exciderunt aut verba corrupta sunt. pergit Eudocia *ἢ ὅτι ὑετῶν ἐπισημασίας δηλοῦσιν;* eadem in scholiis Arateis et Basileensibus legimus; denique *ἢ διότι τῷ Υ στοιχείῳ παρεμφερεῖς εἰσί.* desunt haec in scholiis Basileensibus, sed extant in Arateis ad v. 172 p. 66, 41 *ἐκ τῶν δύο γραμμῶν τοῦ Υ στοιχείου· αἱ γὰρ Ὑάδες τοῦτο τὸ στοιχεῖον ἀπομιμούμεναι τὸ ταύρειον ἀποτελοῦσι πρόσωπον. διὸ καί τινες Ὑάδας αὐτὰς ἔνθεν εἶπον.*[50]) et cum Eudociae caput praeterea totum ex Catasterismis fluxerit, eodem haec quoque verba redire quam maxime est veri simile. quid quod eadem in scholiis Basileensibus casu tantum intercidisse ex Hygini fabularum capite 192, quod maximam partem ex scholiis illis interpolatum esse ostendi, non inepte concludere mihi videor. nam illic legis p. 122, 24 Schmidt *quidam aiunt in modum Y litterae positas; inde Hyadas dici.* quae cum ita sint, totum illud Eudociae caput inter Catasterismorum fragmenta referendum esse videtur. cum vero neque illius aetate integros Catasterismos extitisse facile crediderim neque hoc caput aliunde sumptum esse quam cetera quae adfert Catasterismorum frustula probabile sit, illam et ipsam Epitomen paullo ampliorem legisse statuo.

Tandem aliquando venio ad scholia Aratea, quae iam saepius in transcursu commemoravi. satis multae in illis inveniuntur fabulae, quae ad verbum fere cum Epitome consentiunt; quas singulas enumerare nihil attinet, cum inter Catasterismorum Fragmenta omnes invenias. id tantum moneo ter diserte Eratosthenem nominari (v. 225 p. 70, 18. v. 402 p. 86, 35. v. 469 p. 94, 4). videtur autem qui haec scholia composuit, non Epitomen tantum, sed integros Catasterismos manu habuisse. nam quae v. 91 p. 60, 23—26 de Arcade narrantur, ea iam dudum Hygini et interpretis Germanici testimonio nisi ad Catasterismos rettulimus; at hanc fabulam neque nostra Epitome exhibet, neque ei, qui ampliore Epitome usi esse videntur, Eudociam dico et scholiorum Sangermanensium auctorem, agnoscunt. Myrtili quoque fragmentum, quod scholia Basileensia ex Catasterismis adferre supra dubitanter suspicati sumus, cum idem in scholiis Arateis inveniamus, v. 172 p. 67, 11 *ὁ δὲ Μυρτίλος τὰς Κάδμου θυγατέρας* (sc. *Ὑάδας φησὶ γενέσθαι*) iam illuc summa cum fiducia referimus. at videndum est, an alia quoque Catasterismorum fragmenta in his scholiis lateant. atque praeter ea, quae aut Epitome servavit aut ex Hygino, scholiis in Germanicum, Eudocia elicuimus, fragmenta, unam tantum indagavi historiolam, quae illuc redire videatur. est ea de Dracone ad v. 46 p. 57, 7 *φέρεται δὲ περὶ τοῦ Δράκοντος καὶ Κρητικὸς μῦθος· ἐπιόντος ποτὲ τοῦ Κρόνου ὁ Ζεὺς εὐλαβηθεὶς ἑαυτὸν μὲν εἰς δράκοντα μετεμόρφωσε, τὰς δὲ τροφοὺς*

---

[50]) Ita MV. *τινὲς μὲν οὖν φασὶν οτι διὰ τοῦτο ταύτας Ὑάδας εἶπεν* Bekkerus.

εἰς ἄρκτους καὶ ἀπατήσας τὸν πατέρα μετὰ τὸ παραλαβεῖν τὴν βασιλείαν τὸ συμβὰν ἑαυτῷ τε καὶ ταῖς τροφοῖς τῷ ἀρκτικῷ ἐνεστήριξε κύκλῳ. artissime haec cohaerent cum duobus Aglaosthenis fragmentis, quae in Epitome servata sunt; nam illic II docemur Aglaosthenem Ursam minorem[51]) pro Cynosura, Iovis nutrice habuisse; cur autem Cynosura ursae potissimum specie inter sidera recepta sit, ex scholiis Arateis demum intellegimus. deinde Epitome XXX haec habet Ἀγλαοσθένης δέ φησιν ἐν τοῖς Ναξικοῖς γενόμενον τὸν Δία ἐν Κρήτῃ καὶ παρὰ τοῦ πατρὸς[52]) ζητούμενον ἐκεῖθεν ἐκκλαπῆναι καὶ ἀχθῆναι εἰς Νάξον e. q. s. videsne quam mire haec inter se conveniant? Saturnus Iovem puerum in Creta quaerit; quas insidias ut effugiat, ille nutrices in ursas, se ipsum in draconem vertit. at Saturnus a quaerendo non desistit; quare Iupiter Naxum defertur. postea periculo liberatus et imperium adeptus memoriam in caelo constituit. concedes, opinor, scholiorum Arateorum narrationem cum duobus illis Aglaosthenis fragmentis ita coniunctam esse, ut ad Aglaosthenem redire prorsus necessario statuendum sit; itaque ut cetera Aglaosthenis fragmenta, ita hanc quoque historiolam in Catasterismis extitisse probabile est. ceterum moneo quod supra de scholiis in Germanicum statuimus omnia ea, quae illis cum Hygino communia essent, ex Catasterismis petita esse, idem in scholia Aratea non cadere. nam in illis praeter Catasterismos alii quoque libri, qui in siderum fabulosa explicatione versabantur, adhibiti sunt, atque iidem quidem, quos Hyginus quoque aut legit aut in fontibus suis excerptos invenit, velut Hermippi carmina, quorum in Catasterismis nulla omnino mentio facta erat.

Denique legit Catasterismos Rufus Festus Avienus; atque omnes adeo, quas Arateis ille interposuit, fabulas illinc petivit. monuit hoc Wilamowitzius meus; res sane e certissimis est. considera modo hos Avieni versus v. 172 s.

illa laboranti similis succedit imago
protinus, expertem quam quondam dixit Aratus
nominis et cuius latuit quoque causa laborum,
Panyasi sed nota tamen, cui longior aetas
eruit excussis arcana exordia rebus.
nam dura indomiti memorat sub lege tyranni
Amphitryoniaden primaevo in flore iuventae,
qua cedunt medii longe secreta diei,
Hesperidum venisse locos atque aurea mala,
inscia quae lenti semper custodia somni
servabat, carpsisse manu, postquam ille novercae
insaturatae odiis serpens victoris ab ictu
spirarumque sinus et fortia vincula laxans
occubuit; sic membra genu subnixa sinistro

---

[51]) Eundem maiorem ursam pro Helice habuisse, etsi non diserte tradatur, tamen satis confidenter statuo. in Catasterismis hoc Arati nomine traditum erat; sed quas turbas Arati mentio in Catasterismis saepius effecerit, mox exponam.

[52]) παρὰ τοῦ πατρὸς scripsi, κατὰ κράτος libri.

sustentasse ferunt, sic insedisse labore
devictum fama est; ac tum Tirynthius aethra
inclutus et solio fultus sublime paterno est.
Iupiter hanc speciem miseratus acerba laborum
reddidit et talem cerni permisit Olympo.

atque primi tres versus accurate ex Arato expressi sunt v. 63 s.

τῆς δ' αὐτοῦ μογέοντι κυλίνδεται ἀνδρὶ ἐοικὸς
εἴδωλον, τὸ μὲν οὔτις ἐπίσταται ἀμφαδὸν εἰπεῖν,
οὐδὲ τίνι κρέμαται κεῖνος πόνῳ.

at de Hercule nihil omnino Aratus habet aut habuisse potest; contra haec quamquam amplificata paullo et poeticis coloribus exornata accuratissime consentiunt cum Catasterismorum narratione, quae cum in Epitome lacunosa sit, ex Hygino adscribenda est. II, 6 *hunc Eratosthenes Herculem dicit supra Draconem conlocatum, de quo ante diximus, eumque paratum ut ad decertandum, sinistra manu pellem leonis, dextra clavam tenentem. conatur interficere draconem Hesperidum, qui nunquam oculos operuisse somno coactus existimatur; qui malis custos adpositus esse demonstratur. de hoc etiam Panyasis in Heraclea dicit. horum igitur pugnam Iupiter admiratus inter astra constituit.* unde nescio an in Avieni v. 189 *miratus* pro *miseratus* restituendum sit; nam *ἄξιον ὁ Ζεὺς κρίνας τὸν ἆθλον μνήμης* Epitome, *Iovis hunc laborem memoriae dignum honoravit* schol. Germ. BP habent.

Similiter quae Avienus v. 369 s. de Geminis narrat, accuratissime cum Catasterismis consentiunt:

ipsius autem
subiectos capiti Geminos tibi cernere fas est
Spartanam Geminos subolem prolemque Tonantis
egregiam et patrio[53]*) post reddita numina caelo.*
nam Lacedaemoniis Mars cum caluisset Aphidnis
Castora Cecropii tulit inclementia belli e. q. s.

iterum Hygini verba adscribam II 22 *sed qui de Castore et Polluce dicunt, hoc amplius addunt, ut Castor in oppido Aphidnis sit occisus, quo tempore Lacedaemones cum Atheniensibus bellum gesserunt;* unde adparet Avieni v. 372 restituendum esse

nam Lacedaemonius Mars cum caluisset Aphidnis.

iam ex his exemplis quam late concentus pateat intellegis; cetera vide in Catasterismorum Fragmentis. sed quod Catasterismos ab Avieno lectos et compilatos esse adfirmavi, scrupulum fortasse movere potest. nam cum eum etiam cum Hygini Astrologia tam accurate congruere videamus, quin illam potius adhibuisse statuimus? at primum quidem permirum esset Avienum ex Hygino eas tantum fabulas, quae ad Catasterismos redeunt, sumpsisse, ceteras, quas ex Hermippo, Hegesianacte, aliis Hyginus habet, mira constantia neglexisse; deinde Catasterismos commentarii in

[53]) *patrio* Wilamowitzius, *proprio* libri.

Aratum instar fuisse mox intellegemus, ut illum, qui Arati carmen vertit, hunc quoque librum cognovisse minime mirandum sit. denique nonnulla habet Avienus, quae, quamquam in Catasterismis extabant, ab Hygino omissa sunt; velut Virginem a nonnullis pro Iside haberi indicat v. 282 s.

aut Pelusiaci magis es dea littoris Isis,
digna coli[54]*) consors et cura latrantis Anubis.*

eandem explicationem vel Epitome IX servavit, sed omisit Hyginus II, 25. deinde Avienus cum v. 541

proles, tibi, Dercia[55]*), pisces*
surgent Bambycii

scribat, fabulam, quae in Catasterismis de Derceto Ctesia auctore narrata erat (v. Epitom. XXXVIII), significat, sed cum Hyginus II 41 pro Derceto Isim nominet, Avienus ex ipsis Catasterismis fabulam cognoverit necesse est. denique Hyginus, ubi de Lyra loquitur II 7, Catasterismorum narrationi nonnulla ex alio auctore admiscet. at quae Avienus v. 618—631 narrat, ea in Catasterismis extitisse omnia cum Epitomes, tum scholiorum Basileensium comparatio docet. quodsi Hyginum Avienus exscripsisset, nullo modo, opinor, ea sola, quae ex Catasterismis fluxerunt, delegisset. nam quo, obsecro, signo ea distinguere poterat. itaque ex Catasterismis eum omnia petivisse pro certissimo habeo. quod cum intellexerimus, de uno certe Avieni loco paullo accuratius disputandum est. nam ille v. 582—600 ubi cur septima Pliadum obscurior sit, inquirit, tres quae huius rei adlatae erant causas profert; nam exponit alios narrasse eam Orionem fugere, alios Troiae exitium lugere, alios denique Meropen esse pudore oppressam, quod mortali nupsisset. quarum explicationum tertia in Epitome XXIII servata est, priores duas in Catasterismis extitisse ex scholiis Sangermanensibus et Hygini Astrologia supra ostendi. atque observa quam accurate Avieni versus 585—597 cum eis congruant, quae Hyginus et de Electra et de cometis narrat II 21 p. 63, 22 — 64, 4. at primae explicationis auctor ab Avieno vocatur Minthes v. 582 s.

cerni sex solas carmine Minthes
adserit, Electram caelo abscessisse profundo
ob formidatum memorat prius Oriona.

iam cum hos versus ex Catasterismis expressos esse constet, illinc Minthis quoque nomen petitum esse, ut ante Panyasidis v. 175, necessario concludimus. in Catasterismis igitur haec fabula ex Minthe narrata erat, quem a Sminthe diversum non esse iam dudum intellectum est. Sminthis[56]) rara sane ac paene obliterata memoria; in catalogo interpretum Arati, quem ex libro Vaticano Victorius edidit, ille quoque commemoratur; at illic non tam interpretes, quam eos, qui in commentario in Aratum conscripto nominati erant, scriptores enumerari iam supra

[54]) *coli* Schrader *poli* libri.
[55]) Dubitandum non est, quin ita Grotius recte pro eo, quod libri habent, *tertia* scripserit.
[56]) Cf. Volkmann de Suidae biographicis in Symbola philologorum Bonnensium p. 722.

monui.[57]) in Arati vita altera *Φαινόμενα* scripsisse dicitur; quod testimonium quamquam ex omni dubitatione exemptum non est, tamen Avieni versu ita confirmatur, ut saltem eum fabulas, quae ad sidera spectabant, in scriptis suis commemorasse concedendum sit, etsi fieri possit, ut non data opera sidera explicuerit. denique hoc ab illo in carmine aliquo factum esse cur Avieno non credamus, non video. addendus igitur est Sminthes eorum numero, quorum carmina in Catasterismis excerpta erant.

Sed unam adfert Avienus historiolam, quam in Catasterismis extitisse adhuc ignoramus. est ea de Eridano, quem Phaethonta fulmine ictum excepisse narrat v. 782—796. neque apud Hyginum neque in scholiis in Germanicum hanc fabulam invenies; at extat in scholiis Arateis ad v. 355 p. 83, 30 *καὶ γὰρ ἐκεραυνώθη* (sc. *ὁ Ἠριδανός*) *μετασχὼν τοῦ κεραυνοῦ τοῦ Φαέθοντος· εἰς αὐτὸν γὰρ κατηνέχθη ὁ Φαέθων ὑπὸ Διὸς καταφλεχθεὶς διὰ τὸ ἐπιβῆναι τῷ τοῦ Ἡλίου ἅρματι· πολυκλαύστου*[58]) *δὲ εἶπεν* (scil. Aratus v. 360) *ὅτι αἱ Ἡλιάδες παρὰ ταῖς τοῦ Ἠριδανοῦ ὄχθαις ὀδυρόμεναι τὸν ἀδελφὸν εἰς αἰγείρους μετεβάλλοντο, ὅπου αὐτῶν καὶ τὸ δάκρυον ἤλεκτρον ποιεῖ.* atque cum et Avienum ceteras fabulas omnes ex Catasterismis hausisse certum sit et in scholiis Arateis eiusdem libri fragmenta passim occurant, hanc quoque fabulam eidem libro tribuere nullus dubito.

Ovidium quoque, cum Fastos conscriberet, Catasterismos praesto habuisse quam maxime est probabile, cum quas ille narrat fabulas, eae praeter quinque omnes in Catasterismis extiterint. neque tamen ex illo nova fragmenta elici possunt. nam quinque illas historiolas ad Catasterismos referre non ausim; sunt eae de Arione II 83, de Piscibus II 457, de Ampelo III 409, de Milvo III 795, de Geminis V 699. ex his quae de Arione et de Castoribus narrantur Ovidii aetate ne pueri quidem ignorabant; quae de Piscibus narrantur eorum simillima sunt, quae ex Diogneto Erythraeo Hyginus adfert II 30; denique quae de Milvo et de Ampelo narrat, aut aliunde habet Ovidius aut fortasse ipse invenit. omnino tenendum est de Ovidio agi, viro cum poeseos graecae tum fabularum cognitione vel inter aequales insigni.

Germanicus quoque Catasterismos legisse videtur; nam quas ille Arateis admiscet fabulas, — facit autem hoc rarissime — ex eis sunt, quas ad Catasterismos rettulimus; has omnes ad Epitomen adnotatas invenies. nova tamen fragmenta ne ex illo quidem peti possunt.

Unum Catasterismorum fragmentum servavit Achilles Tatius ad Arat. p. 146 E: *περὶ δὲ τούτου* (de lacteo circulo) *φησὶν Ἐρατοσθένης ἐν τῷ Καταστερισμῷ μυθικώτερον τὸν γαλαξίαν κύκλον γεγονέναι ἐκ τοῦ τῆς Ἥρας γάλακτος· τοῦ γὰρ Ἡρακλέους ἔτι βρέφους ὄντος καὶ τὸν μαστὸν τῆς Ἥρας ἐπισπασαμένου σφοδρότερον ἐκείνην ἀντισπάσαι καὶ οὕτως περιχυθέντος τοῦ γάλακτος κύκλον γενέσθαι παγέντος· τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τοῦ Ἑρμοῦ λέγει γεγενῆσθαι Ἐρατοσθένης, ὡς ἄρα ὁ Ἑρμῆς τοῦ μαστοῦ τῆς Ἥρας ἐπεσπάσατο.* atque Herculem ad Iunonis mammam

---

[57]) Cf. adnot. 39.

[58]) Haec verba in MV continuo secuntur, cum in editionibus aliud scholium interpositum sit,

admissum esse cum in Epitome tum apud omnes fere testes legimus; sed lacteum circulum eo ortum esse dicunt quod Iuno Herculem a se reiecisset. eam vero fabulae formam, quam modo ex Achille Tatio adscripsi, praeter illum unus servavit Hyginus II 43 p. 80, 17—19; itaque eam quoque in Catasterismis extitisse diserto Achillis testimonio constat. contra quae ille de Mercurio Eratosthenis nomine iterum praescripto narrat, ea quamquam et ipsa apud Hyginum recurrunt, tamen ambiguum esse utrum ad Catasterismos an ad Mercurium pertineant iam supra monui. Philonis sane testimonio constat in Mercurio lacteum circulum commemoratum fuisse. cf. Hiller Eratosthenis carmin. rel. XVI p. 47 s. et II p. 6 s. at concedes satis mirum esse Achillem Tatium ita Catasterismorum fragmentum cum fabula ex Mercurio petita coniunxisse, praesertim cum illum Eratosthenis carmen legisse veri dissimillimum, contra haec aut ex Catasterismis aut ex ampliore Epitome aut denique ex amplioribus scholiis Arateis sumpsisse quam maxime probabile sit. sed cum ne codicibus quidem Hygini a Bursiano conlatis fidem simpliciter abrogare ausim, rem, ut dixi, in medio relinquo.

Haec igitur sunt Catasterismorum fragmenta, quae quidem adhuc indagare potui. operis autem illius auctorem id sibi proposuisse adparet, ut Arati ordinem secutus et singulas quae ad sidera spectarent fabulas enarraret et singulas signorum stellas breviter enumeraret. vocatur autem hic auctor miro omnium testium consensu Eratosthenes. deinde in Arati interpretum catalogo a Victorio edito Eratosthenes quoque nominatur, unde tamen nihil aliud sequitur, nisi eius nomen in commentario aliquo in Aratum conscripto non secus atque in eis quae nos tenemus scholiis saepius commemoratum fuisse. denique Eratosthenem *ἀστρονομίαν ἢ καταστερισμούς*[59]) scripsisse auctor est Suidas s. v. *Ἐρατοσθένης*. his autem omnibus fidem abrogavit Bernhardyus Catasterismos vel, de qua sola loquitur, Epitomen nihil cum Eratosthene commune habere, sed clarissimum eius nomen turpiter ementiri arbitratus.[60]) atque quae ille huius opinionis profert argumenta, pleraque tam futilia sunt, ut refutare ea paene taedeat. omnia enim in eo nituntur, quod et Epitomen ex Hygini Astrologia descriptam esse et omnia quae ex Eratosthene Hyginus adferat ad Mercurium pertinere putat. de utroque supra iam satis dictum est. una tamen dubitatio relinquitur, ea sane gravissima, quae ex dictione huius libelli pendet. certissimum enim est Eratosthenem ita scribere nullo modo potuisse; vide modo quae Bernhardyus congessit exempla (Eratosthenica p. 117 s.). in promptu quidem est excusatio, qua usi quaecunque in hoc libello inferiorem aetatem redolent compilatori tribuamus. at similia vitia in eis Catasterismorum fragmentis

---

[59]) *καταστηριγμούς* libri. corr. Portus.

[60]) Adsensi sunt Bernhardyo Westermannus in Mythographorum graecorum editione p. IX, Beckerus Prolegomena in Isidor. p. VIII, Merkelius Ovidii Fasti p. VIII alii multi; oblocuti sunt Bergkius Anal. Alex. I p. 7 s. Bursianus Jahrb. f. class. Philol. 1866 p. 765, Freyius Rhein. Mus. XXV p. 272, Hillerus Eratosthen. carm. rel. p. 70. superstitem Epitomen genuini operis Eratosthenici compendium esse iam Valckenarius et Heynius (epistola ad Schaubachium p. XIII) statuerunt. sed nemodum accuratius in hanc rem inquisivit.

recurrunt, quae in scholiis Arateis servata sunt; deinde quae apud Hyginum et in scholiis Basileensibus legimus verba, saepe Epitomae tam accurate respondent, ut si non eadem verba, at certe simillima utrumque ante oculos habuisse necesse sit; cuius rei unum exemplum attulisse sufficiet; nam cum Hyginus II 4 scribat *de hoc fertur, ut sit Arcas nomine* nonne adparet eum eadem verba legisse, quae hodie in Epitome 4 exstant *περὶ τούτου λέγεται, ὅτι Ἀρκάς ἐστιν*? itaque elucet Catasterismorum dictionem ab Epitome nimis diversam non fuisse.

At contra haec reputa: unus tantum in Catasterismis scriptor commemoratur Eratosthenis aetate inferior. est is Hipparchus in Epitome XXIII p. 254, 25: *θέσιν δ' ἔχουσιν* (scil. *αἱ Πληιάδες*) *εὖ μάλα κείμενα κατὰ τὸν Ἵππαρχον τριγωνοειδοῦς σχήματος*. in Hipparcho haec verba frustra quaesivi. extant autem in scholiis Arateis ad v. 254 p. 74, 13: *καὶ ἔχουσι σχῆμα τρίγωνον, οὗ ἡ βάσις ἐπ' ἀνατολὴν τέτραπται*. tum paucis interpositis verbis ita pergitur: *ὁ Ἵππαρχος δὲ οὐκ ἐπὶ τοῦ Ταύρου (καὶ γὰρ αὐτὸς ἡμίτομον τὸν Ταῦρον ποιεῖ)· φησὶ δὲ*[61] *τῷ μὲν ποδὶ τοῦ Περσέως μᾶλλον αὐτὰς πλησιάζειν, πόρρω δὲ*[62] *εἶναι τοῦ ἀριστεροῦ γόνατος*. atque haec sane in Hipparcho leguntur (p. 12 editionis Victorii, qua sola mihi uti licuit): *οἱ γὰρ ἐν τῷ ἀριστερῷ ποδὶ τοῦ Περσέως β' λαμπροὶ καὶ ἔτι ἐν τῇ ἀριστερᾷ κνήμῃ πολλῷ ἐγγίονές εἰσι τῶν Πληιάδων ἤπερ τὸ ἀριστερὸν γόνυ*. unde non inepte conligas verba quae modo ex Epitome attuli, ex scholiis Arateis ab interpolatore addita esse, qui Hipparchi mentionem paullo post obviam ad praecedentia quoque perperam rettulerit. adde quod verba, ceterum iam Schaubachio suspecta, neque apud Hyginum neque in scholiis in Germanicum conscriptis extant. Hipparcho igitur excepto ceteros omnes, qui in Catasterismis nominantur, scriptores[63]) ante Eratosthenem vixisse aut exploratum est aut admodum probabile; nemo certe commemoratur, quem posteriorem illius aetate esse constet. Hegesianax Hermippusque, qui Eratosthenis fere aequales fuisse videntur, nusquam commemorantur, etsi et *Φαινόμενα* scripserint et a posterioris aetatis scriptoribus velut Nigidio, Hygino, scholiorum Arateorum auctore compilati sint. omnino praeter Aratum nemo in Catasterismis commemorari videtur, qui data opera de sideribus egerit. at quos scriptores adhibuit! nihil dico de Homero, Hesiodo, praeclara tragicorum triade vel de Antisthene, Aristotele, Heraclida Pontico; nihil de Pherecyde, nihil de Ctesiae certe non de trivio petita mentione. plus iam valet Pisandrum, Panyasin, ea denique, quae Musaei[64]) et Epimenidis nomine ferebantur, carmina compilata esse. rarius occurrit Aglaosthenis Sminthis Myrtili[65]), nusquam Aristomachi memoria. neque, quantum ego sciam, Artemidori a grammatico, qui diu post Eratosthenis aetatem

---

[61]) Ita MV. *φησιν· ἀλλὰ* Bekkerus.

[62]) Post *δὲ*: *τὴν κνήμην* Bekkerus, quod M et V recte omittunt.

[63]) Catalogum eorum auctorum, qui in Catasterismis nominantur, fragmentorum conlectioni adfixum invenies.

[64]) De Epimenide et Musaeo v. Epimetrum III.

[65]) Quae ex Myrtilo de Hyadibus Cadmi filiabus narrantur, ad scriptoris illius Lesbiaca recte rettulit Carolus Müllerus Fr. hist. graec. IV p. 455; in alio eiusdem operis fragmento

Bucolicos uno stabulo congregavit, haud dubie diversi de Amore elegiae alibi commemorantur. deinde rarissime fit, ut de comoediarum argumentis vel de historiolis in eis obiter enarratis edoceamur; ter factum in hoc libro, in quo non solum Cratini *Νεμέσεως* argumentum, sed etiam Amphidis duae narrationes adferuntur. quod a falsario fieri nullo modo credi potest; contra unice decet illum, qui de antiqua comoedia praeclarum composuit librum. quid quod vel duo Pliadis Alexandrinae laudantur tragici, Sositheum dico et Philiscum. e Sositheo lepidissimum Alexandrinoque poeta dignissimum commentum enarratur, hominem fuisse Plausum, Musarum sodalem atque conlusorem. Philisci autem lascivissimae fabulae satyricae, cuius nomen quidem ignoratur, argumentum exponitur; ad tragicum enim, non ad comicum hoc referendum esse censeo, cum et satyrorum in hac fabula partes fuisse eluceat, et asinus inter sidera relatus fabulae satyricae magis, quam comoediae, Alexandrinae magis quam Philisci comici aetati conveniat. miror autem Nauckium hoc fugisse. at celeriter defloruerunt Alexandrinorum tragoediae; vix natae statim oblitteratae sunt neque reliquerunt nisi tenuissimam sui memoriam. is igitur, qui Philisci Sositheique fabulas tam accurate noverit, ab eorum aetate nimis remotus esse nequit. concedes haec omnia mirifice in Eratosthenem quadrare. id certe pro explorato habere possumus, Catasterismorum auctorem hominem fuisse non solum rara litterarum cognitione insignem, sed etiam mira vel rariorum librorum copia instructum.

Porro quae Nigidius[66]) de Orione, de Iustitia, de Erigona, de Tauro, de Aristaeo, de Chirone, de Croto denique profert, ea Catasterismorum narrationibus simillima sunt, ita tamen ut adpareat Nigidium non compilatorum more stolida mente exscripsisse, sed ut virum doctrina insignem decebat, multis modis auctoris sui narrationes variasse atque amplificasse. nihilominus concentus tantus est, ut Nigidium aut ipsos Catasterismos aut librum eorum simillimum habuisse necesse sit; nota, ut unum moneam, Croti fabulam. at Catasterismorum sermonem posteriorem aetatem redolere supra vidimus. aliud igitur Nigidii aetate extabat opus easdem fere atque Catasterismi narrationes continens, ex quo Catasterismos aut totos aut magnam partem fluxisse consentaneum est. atque ad unum tantum opus in quo fabulae ad sidera spectantes ex poetis scriptoribusque congestae erant Catasterismos redire, non ex variis eius modi operibus conflatos esse veri simillimum est, cum nemo in eis praeter Aratum commemoretur, quem data opera de sideribus scripsisse constet, sed ei tantum, qui occasione data eorum mentionem fecerint, adhibiti sint; hoc autem ab uno et eodem scriptore consulto factum esse elucet. porro si Catasterismorum auctor complures fontes adhibuisset, certe neque Hermippum neque Hegesianactem neglexisset; quorum in Catasterismis nec vola nec vestigium adparet.

(10 Müller) alia Cadmi filia Ino commemoratur. quae vero Welckerus (Episch. Cycl. I p. 101) de hoc Myrtili fragmento protulit eis nullo modo adsentiri possum. eidem Myrtilo fortasse tribuenda esse, quae in Catasterismis de virginibus quibusdam Lesbiis narrata erant, iam supra monui.

[66]) Nigidius, quae de Ariete narrat, Hermippo, quae de Deucalione, Hegesianacti debere videtur. cf. Hygin. Astrolog. II 20 p. 60, 25 s. et II 29 p. 70, 11 s.

quae si recte disputavi, statuendum est Catasterismos maioris operis quo Nigidius Figulus usus sit compendium esse. maius autem illud opus cur ab Eratosthene abiudicetur, prorsus nulla inveniri potest causa. immo ea omnia, quae supra exposui, tantum non efficiunt re vera ab Eratosthene scriptum fuisse.

Ipsi autem Catasterismi varia indicia praebent, unde librum a principio hanc formam non habuisse, sed postea demum in eam redactum esse conligas. ac primum quidem in Epitome XV de Cepheo haec leguntur *οὗτος ἐν τάξει τέταχται τέταρτος;* similiter de Lyra Epitome XXIV *αὕτη ἐνάτη κεῖται ἐν τοῖς ἄστροις.* neutrum, quod sciam, quisquam intellexit; nam cum scriptor Arati ordinem sequatur, Cepheus quintus decimus, Lyra vicesima quarta est. at fac aliquem ab Ursa maiore omnium siderum maxime conspicua incipientem singulos, qui sideribus formantur, quasi circulos, ut quisque propius a polo abest, ita enumerare; tum hunc habebis ordinem: primo circulo continentur 1) Ursa maior 2) Ursa minor 3) Serpens 4) Cepheus 5) Cassiopia, secundo 6) Bootes 7) Corona 8) Genicularius 9) Lyra e. q. s. videsne Cephea quartum, Lyram nonum locum occupare? num dubium esse potest, quin scriptor hunc ipsum ordinem eis, quae supra adposui, verbis significare voluerit? immo longius progredi debemus. nonne admodum probabile est primitus sidera hoc ipso ordine enumerata fuisse, postea demum ad Arati similitudinem disposita esse? iam animadvertas, quantam perturbationem eiusdem Arati mentio in Catasterismis bis effecerit. de Equo Epitom. XVIII legimus *Ἄρατος* (v. 216 s.) *μὲν οὖν φησὶ τὸν ἐπὶ τοῦ Ἑλικῶνος εἶναι ποιήσαντα κρήνην τῇ ὁπλῇ, ἀφ' οὗ καλεῖσθαι Ἵππου κρήνην· ἄλλοι δὲ τὸν Πήγασον εἶναί φασι* e. q. s. igitur idem dixerunt, atque Aratus, cui nihilo minus opponuntur. prorsus idem accidit, ubi de Ursa minore agitur; verba ex scholiis Basileensibus adscribam, cum Epitome illo loco mutilata sit: *Aglaosthenes autem in Naxicis Cynosuram dicit Iovis fuisse nutricem unam ex Idaeis nymphis ..... Aratus Cynosuram et Helicen Cretenses Iovis fuisse nutrices dicit, ob quod sunt caelesti honore donatae.* iterum prorsus idem dixit Aratus atque cuius sententia ei opponitur, Aglaosthenes. nam eum quoque non Cynosuram tantum, sed etiam Helicen commemorasse, ut iam supra monui, valde probabile est. itaque cum neutro loco Arati mentio cum ceteris narrationibus bene cohaereat, sed contextum tantumnon turbet, eo adducor, ut statuam Eratosthenis opus non solum alio ordine dispositum fuisse sed etiam eis quae ex Arati Phaenomenis haustae sunt narratiunculis caruisse. quare ea quoque, quae Epitom. VII de Scorpione ex Arati v. 637 s. et ibidem IX de Virgine ex eiusdem v. 98 s. paene ad verbum expressa leguntur, non tam ab Eratosthene profecta quam a compilatore addita esse censeo. nam ille quamquam Arati carmen ad Theopropum datum commemoravit, tamen eiusdem Phaenomena non magis quam aliorum, qui data opera de sideribus scripserunt, libros consuluisse videtur. contra compilator id spectabat, ut mythologicum in Aratum commentarium componeret; itaque et ordinem immutavit et nonnulla ex ipso Arato addidit. stellarum autem catalogos non compilatori, sed ipsi Eratostheni tribuendos esse inde efficitur, quod cum Arati Phaenomenis minime congruunt. id quod uno exemplo demonstrasse satis erit. Epitome III de Serpentis stellis haec habet: *ἔχει*

δὲ ἀστέρας ἐπὶ μὲν τῆς κεφαλῆς λαμπρους γ', ἐπὶ δὲ τοῦ σώματος ἕως τῆς κέρκου ιβ'. contra Aratus v. 55

οὐδ' οἷος κεφαλῇ ἐπιλάμπεται ἀστήρ,
ἀλλὰ δύο κροτάφοις, δύο δ' ὤμασιν· εἷς δ' ὑπένερθεν
ἐσχατιὴν ἐπέχει γέννος δεινοῖο πελώρου.

quinque igitur in capite stellas Aratus, tres Epitome enumerat[67]); itaque hi catalogi ab homine, qui Aratum commentario instruere voluerit, conditi esse nequeunt.

Quae si recte disputavimus, tota res ita sese habet. Eratosthenes librum scripsit quo et fabulas quae ad sidera pertinerent ex scriptoribus poetisque conligeret et singulas signorum stellas enumeraret. eodem libro alias quoque, quae ad sidera spectabant, quaestiones tractatas fuisse veri simile est, sed adhuc certis argumentis evincere nequeo. titulus autem huic libro erat *Κατάλογοι*;[68]) ita enim vocatur in scholiis Iliacis *X* 29, ubi ex illis Icarii fatum prorsus eodem modo narratur, atque in Catasterismis factum esse intelleximus. cf. Hiller Eratosthen. carmin. rel. p. 68. neque enim dubitandum esse videtur, quin in scholiis in Iliadem non compendium, sed genuinum Eratosthenis opus significetur; illud igitur *Κατάλογοι* (scil. *τῶν ἄστρων*), hoc *Καταστερισμοί* inscriptum fuisse arbitror. sed cum in scholiis in Iliadem conscriptis Catalogos semel exscriptos esse constet, videndum est, num idem saepius factum sit. atque quae ad *O* 229 de Iovis pueritia leguntur, Musaei narrationi, quae in Catasterismis XIII extabat, tam similia sunt, ut ad Catalogos referre non dubitaverim, praesertim cum ultima verba *ἐντεῦθεν αὐτόν φασιν αἰγίοχον προσαγορευθῆναι* Musaei versum reddere videantur, cuius pars in schol. Arat. ad v. 156 p. 66, 1 servata est *αἰγίοχος κικλήσκεται ἀνθρώποισιν*. similiter quae ad *Σ* 486 (p. 169, 10 — 170, 10 Dind.) de Hyadibus et Pliadibus adferuntur, cum eadem vel ex iisdem auctoribus Musaeo nimirum, Arato, Pherecyde in Catasterismis narrata fuisse intellexerimus, ad Catalogos referenda esse videntur. praecedunt in eodem scholio duae historiolae, quarum unam quae est de Orione et Pliadibus in Catasterismis extitisse constat, altera (p. 169, 7—10) eadem est, quae paullo post ex Arato narratur (p. 170, 1—4); sed huic alteri addita sunt verba *ἡ ἱστορία παρὰ τοῖς κυκλικοῖς*, quae tamen ad priorem quoque referre nolim; statuo potius priorem ex Catalogis, posteriorem ex cyclicis profectam esse narrationem. contra quae ad eundem Homeri versum paullo post p. 171, 5—20 de Orione profertur fabula, eam ad Catalogos referre non ausim. quae quamquam Aristomachi narrationi quam inter Catasterismorum fragmenta XXXII recepi in universum simillima est, tamen eo differt, quod res illic Thebis, hic Tanagrae agitur; tum in scholiis Iliacis Euphorionis nomen adscriptum est (cf. Meineke Anal. Alexandr. p. 133), denique fabula simili modo a multis narrata erat; iam Pindarus (fr. 51

---

[67]) Cf. supra p. 22.

[68]) *ἱστορεῖ Ἐρατοσθένης ἐν τοῖς ἑαυτοῦ καταλόγοις* Ven. B. *ἡ ἱστορία παρὰ Ἐρατοσθενει* Ven. A.

Bergk.) et Hesiodus (Hygin. astrolog. II 34) eandem narrationis formam protulisse videntur, quae posteriore aetate vulgaris erat.

Sed pergo Eratosthenis Catalogorum fata enarrare; hos igitur Nigidius quoque legisse videtur, ex quo tamen solam Erigones historiolam, ut cum scholiis Iliacis comparetur, inter Catalogorum fragmenta lectori proponendam esse duxi; omnes, quae apud Nigidium ad Catalogos redeunt, narrationes proposuissem, nisi ille ab Eratosthene in singulis magnopere discederet fabulasque suo Marte multis modis variaret atque exornaret. Ovidium quoque atque Germanicum ipsos Catalogos legisse crediderim. postea autem Eratosthenis opus in compendium contractum, genuinus ordo Arateo permutatus est. erat iam mythologici in Aratum commentarioli instar; inscribebatur *Καταστερισμοί,* Eratosthenis tamen praeclarum nomen retinuit. quod tamen ne ante alterum p. Chr. saeculum factum esse reamur, Catasterismorum dictio impedire videtur. nam etsi ex eis qui in Epitome offendunt soloecismis multos infima demum aetate inlatos esse neque in Catasterismis extitisse libenter concedam, tamen et in scholiis Arateis quae Catasterismorum sermonem accuratius reddere videntur et in eis quae Hyginum legisse necesse est insunt, quae ne primo quidem p. Chr. saeculo tribuere ausim, sermonis vitia. unde efficitur, ne Hyginum quidem illa aetate antiquiorem esse posse, diversum igitur esse Astrologiae et Fabularum auctorem a clarissimo Augusti liberto ac bibliothecario, C. Iulio Hygino. id quod iam ab aliis statutum est. ceterum cf. Epim. II. Hyginus igitur Catasterismos, non Catalogos compilavit atque idem fecerunt Arati scholiastes, Germanici interpres, eum dico a quo scholia Basileensia profecta sunt, denique Rufus Festus Avienus. Catasterismi progredientibus saeculis sensim concisi sunt atque decurtati, donec in hanc quam nos tenemus Epitomen contracti sunt, qua vel Eudociam et magistrum cui scholia Sangermanensia debentur ampliora legisse supra ostendi. hac igitur ratione Catasterismorum fragmenta, quae mox tibi propositurus sum, cum Eratosthene cohaerent.

10930899

10930899

ERATOSTHENIS CATALOGORVM

FRAGMENTA TRIA.

10930899

I. *(cf. Catasterism. VIII.)*

A. Schol. Il. *X* 29. *Ἰκάριος γένος μὲν ἦν Ἀθηναῖος· ἔσχε δὲ θυγατέρα μονογενῆ Ἠριγόνην, ἥτις κύνα νήπιον ἔτρεφε. ξενίσας δέ ποτε ὁ Ἰκάριος τὸν Διόνυσον ἔλαβεν ἀπ᾽ αὐτοῦ οἶνόν τε καὶ ἀμπέλου κλῆμα. κατὰ δὲ τὰς τοῦ θεοῦ ὑποθήκας περιήει τὴν γῆν προφαίνων τὴν τοῦ Διονύσου χάριν, ἔχων σὺν ἑαυτῷ τὸν κύνα. γενόμενος δὲ ἐκτὸς τῆς πόλεως βουκόλοις οἶνον παρέσχεν· οἱ δὲ ἀθρόως ἐμφορησάμενοι οἱ μὲν εἰς βαθὺν ὕπνον ἐτράπησαν, οἱ δὲ περιλειπόμενοι νομίσαντες θανάσιμον εἶναι φάρμακον τὸ πόμα πλήσσοντες ἐφόνευσαν τὸν Ἰκάριον· μεθ᾽ ἡμέραν δὲ νηφάντων αὐτῶν καταγνόντες ἑαυτῶν εἰς φυγὴν ἐτράπησαν. ὁ δὲ κύων ὑποστρέψας πρὸς τὴν Ἠριγόνην δι᾽ ὠρυγμοῦ ἐμήνυσεν αὐτῇ τὰ γεγονότα· ἡ δὲ μαθοῦσα τἀληθὲς ἑαυτὴν ἀνήρτησεν· νόσου δὲ ἐν Ἀθήναις γενομένης κατὰ χρησμὸν Ἀθηναῖοι τόν τε Ἰκάριον καὶ τὴν Ἠριγόνην ἐνιαυσίαις ἐγείραιρον τιμαῖς· οἳ καὶ καταστερισθέντες Ἰκάριος μὲν Βοώτης ἐκλήθη, Ἠριγόνη δὲ Παρθένος· ὁ δὲ κύων τὴν ἑαυτοῦ ὀνομασίαν ἔσχεν. ἱστορεῖ Ἐρατοσθένης ἐν τοῖς ἑαυτοῦ καταλόγοις.*

E quattuor his qui Icarii fabulam ex Catalogis, non ex Catasterismis, exhibent auctoribus Eratosthenis ipso libro usi esse videntur Nigidius Figulus (C) *et scholiastes Homeri* (A), *quorum hic consuetudine sua alia mutat, alia addit, ille narrationis Eratosthenicae argumentum accurate, ut ipse indicat, adumbrat. Apollodorus* (Ba) *et Hyginus* (Bb) *in singulis tanto opere inter se consentiunt, ut ex eodem fonte* (B) *utrumque haurire facile concedas; quibus id quoque commune est, quod una certe in re ab Eratosthene dissentiunt. ille enim, ut docent scholia Iliaca, pastorum alios ebrios factos obdormiisse alios Icarium interfecisse narraverat; atque eadem in Catasterismis extitisse ex Hygini Astrologia perspicitur; Apollodorus contra et Hyginus in Fabulis Icarii interfectores eosdem esse, qui vino immoderate hausto ebrii facti sint, uno ore testantur; unde ne colligas nihil omnino esse utrique cum Eratosthene commune reliquae narrationis maxima similitudo impedit; id tantum statuendum est hanc parvi ceteroquin momenti immutationem extitisse iam in communi utriusque fonte; quem ὑποθέσεων syllogen fuisse satis confidenter pronuntio. olim Apollodorum Erigonae Eratosthenicae argumentum exhibere perperam arbitratus sum de Apollodori bibliotheca p. 88; nunc de carminis illius argumento paucissima sciri posse, hanc vero narrationem non ex Eratosthenis Erigona, sed ex eiusdem scriptoris Catalogis in syllogen receptam esse praeeunte Hillero Erat. carm. rel. p. 96 statuo.*

---

13 ἑαυτοῦ: *αὐτήν Hillerus. at vide Hygin. astron. II, 4 (= Catasterism. VIII)* sua adpellatione.

B a. Apollod. III 14, 7. *Διόνυσον δὲ Ἰκάριος (ὑπεδέξατο), καὶ λαμβάνει παρ' αὐτοῦ κλῆμα ἀμπέλου. καὶ τὰ περὶ τὴν οἰνοποιίαν μανθάνων καὶ τὰς τοῦ θεοῦ δωρήσασθαι θέλων χάριτας ἀνθρώποις, ἀφικνεῖται πρός τινας ποιμένας, οἳ γευσάμενοι τοῦ ποτοῦ χωρὶς ὕδατος καὶ δι' ἡδονὴν ἀφειδῶς ἐλκύσαντες, πεφαρμάχθαι νομίζοντες ἀπέκτειναν αὐτόν. μεθ' ἡμέραν δὲ νήψαντες ἔθαψαν αὐτόν. Ἠριγόνῃ δὲ τῇ θυγατρὶ τὸν πατέρα μαστευούσῃ κύων συνήθης ὄνομα Μαῖρα, ἣ τῷ Ἰκαρίῳ συνείπετο, τὸν νεκρὸν ἐμήνυσε· κἀκείνη κατοδυραμένη τὸν πατέρα ἑαυτὴν ἀνήρτησε.*

B b. Hygin. fab. 130. Cum Liber pater ad homines esset profectus, ut suorum fructuum suavitatem atque iucunditatem ostenderet, ad Icarum [*et Erigonam*] in hospitium liberale devenit; ei utrem plenum vini muneri dedit iussitque ut in reliquas terras propagaret. Icarus plaustro onerato cum Erigone filia et cane Maera in terram Atticam ad pastores devenit et genus suavitatis ostendit. pastores cum immoderatius biberent ebrii facti conciderunt; qui arbitrantes Icarum sibi malum medicamentum dedisse fustibus eum interfecerunt. Icarum autem occisum canis, Maera nomine, ululans Erigonae eius filiae monstravit *[ubi pater insepultus iaceret]*. quo cum venisset, super corpus parentis in arbore suspendio se necavit. ob quod factum Liber pater iratus Atheniensium filias simili poena adflixit. de ea re ab Apolline responsum petierunt; quibus responsum est, quod Icari et Erigones mortem neglexissent, quo responso *[de pastoribus supplicium sumpserunt et]* Erigonae diem festum oscillationis *[pestilentiae causa]* instituerunt, et ut per vindemiam de frugibus Icaro et Erigonae primum delibarent. qui deorum voluntate in astrorum numerum sunt delati. Erigone signum Virginis, quam nos Iustitiam adpellamus, Icarus Arcturus in sideribus est dictus, canis autem ~~Maera~~ Canicula.

C. Nigidivs Figvlvs. a. Schol. Germ. BP. p. 66, 6. Erigonen Atheniensem Icari filiam fuisse. quod cum Liber inventum suum vinum suavitate inter mortales inlustraret, veritus ne, cum civibus suis obtulisset saporis nobilitatem,

---

4 *χωρὶς ὕδατος καὶ Wilamowitzius: καὶ χωρὶς ὕδατος libri.* 5 *νήψαντες Valckenaerius: νοήσαντες libri.* 7 *κατοδυραμένη Hercherus: κατοδυρομένη libri.*

10 Icarum *et hic et per totam fabulam scripsi:* Icarium *Micyllus; ipsum autem Hyginum scripsisse Icarum puto, cum ita Hygini Astrologiae libri exhibeant omnes et eandem lectionem in libro Strozziano, de quo cf. Epimetrum I, inreniamus; qua re vel in Frisingensi idem scriptum fuisse, sed a Micyllo, homine fabularis historiae non ignaro, immutatum esse suspicor.* 10 et Erigonam, 11 eis, 12 propagarent *Mic. ex Frisingensi. — Erigonae mentionem hoc loco omittit,* 11 ei, 12 propagaret *Strozzianus; valde vereor ne partes, quae in priore fabulae parte Erigone habet, ei ab interpolatore libri Frisingensis, de quo v. Epim. I, tributae sint, veram lectionem servaverit Strozzianus; itaque etiam* 12. 13 *aut pro* Erigone filia et cane *scripserim* Erigonae filiae cane, *aut verba* cum Erigone — Maera, *quae desunt in Strozziano, delere malim.* 16 Maera nomine ululans *Strozzianus.* ululans Maera *Mic. ex Frisingensi.* 16 ubi pater insepultus iaceret *seclusi verba aperte interpolata, quippe quae et sermonis ordinem turbent et Eratosthenicae conformationi fabulae repugnent; novit tamen interpolationem vel Strozzianus.* 20 de pastoribus supplicium sumpserunt, 21 pestilentiae causa *interpolatori tribuo.*

ebrietatem iucunditatis arbitrarentur maleficium, persuasit Icario amicissimo sibi ut is inferret in civitatem quam vellet [*hoc est vinum*]. quod et libens animo Icarius tulit et distribuit in Attice. hi capti nobilitate vini languore subito vacillantes veriti, ne non augendae voluptatis esset sed minuendae valetudinis (*id est sensum sibi sublatum*) commoti vino praecordiaque transpulsi Icarium interfecerunt. quod pro iucundissimo praemio est adeptus. conterrita mora patris Erigone cum miserando ululatu mortuum requirens canis dentibus vesti iniectis eam accersens ad patris corpus perduxit. quae eius corpus sepelit ipsaque se in Hymetto monte contulit ibique sibi laqueo mortem adscivit. tum dicitur Liber ab Iove petisse, propter quod Icarius pater Erigones *** fuisset, siderum signis nobilitarentur. adaeque virgines Athenienses quotannis diem festum instituerunt aeoras, quas oscilla dicimus, ideo quia illam pendentem [*qui*] iactari conspexerunt, quod est apud Graecos *αἰωρεῖσθαι*. ex quo factum est ut olim oscillo iactarentur homines. Icarius autem pater virginis nominatur stella Arcturus. quae cum exoritur spurcissimas tempestates mari terraeque efficit, quod meminit sibi pro beneficio exitium fuisse a mortalibus. canis autem Icarii qui ululans ante pedes pendentis virginis mortuus est astrum Cyon nominatur, quam nos Canis stellam nominamus. qui ob eandem causam quando exoritur summam pestilentiam mortalibus portat.

b. Ampelius II 6. Sunt qui Erigonam Icari filiam Atheniensem dicunt, cuius patri Liber vinum dedit, ut hominibus ad suavitatem daret; quibus dedit, ebriati sunt et lapidibus eum occiderunt. canis, qui cum illo erat, vidit dominum occisum et cum ululatu ad Erigonam rediit; quem ut maestum et singularem vidit, sollicita proficiscitur cum eo. venere ad locum, ubi Icarius iacebat. vidit corpus patris; magna lamentatione in Hymetto monte sepelivit, ipsa vero se suspendit laqueo. canis ad pedes eius discumbens diutius et sine alimentis deficiens post aquam anhelans in puteum se proiecit. tum Liber a Iove petiit, quod suo imperio defecerint, ut inter siderum cursus ponerentur. Erigona Virgo,

---

2 hoc est vinum *glossema esse vidit Eyssenhardtus.* 4 esset *add. Wilamowitzius.* 4 id est — sublatum *glossema esse vidit Kiesslingius.* 6 pro incundissimo praemio *BP*, pro iucundissimo acerbissimum praemium *temptavit Wilamowitzius.* conterrita mora patris: contra morem. patris *BP. ipse cum temptassem* conterret mora patris Erigonen *perfecit emendationem Kiesslingius.* cum miserando *Eyssenhardtius*, commiserando *B*, commiserando *P*, commiseratur *Breysigius.* 7 mortuum *scripsi praeeunte Breysigio*, mortem *B*, mortem mortem *P.* dentibus vesti iniectis *Wilamowitzius ultimo vocabulo exempli gratia posito;* leni vestigio *BP*, tenens veste *Eyssenhardtius. cf. Hygin astrol: II 4 (= Catasterism. fragm. VIII)* canis vestem eius tenens dentibus. accersens *Kiesslingius*, accensam *BP*, accersitam *Eyssenhardtius.* 10 *lacunam statuit Wilamowitzius* amicus sibi *vel tale quid excidisse arbitratus.* nobilitarentur *Wilamowitzius*, nobilitaretur *BP.* adaeque *Kiesslingius*, ad ea quae *BP.* 11 oscilla *Kiesslingius*, nos latine *BP*; oscilla *post* dicimus *addiderat Munckerus.* 12 qui *delevit Eyssenhardtius.* 13 *αἰωρεῖσθαι* Merkelius, *ΦΕΡΕCΕΑΙ B. ΦΕΡΕCΕΜ P. m. r.* olim *Kiesslingius*, soli *BP*, *Merkelius vocabulum delere voluit.*

22 dominum *Heinsius*, hominem *libri.* 28 ponerentur *Wilamowitzius*, poneretur *libri.* Erigona *add. Wilamowitzius.*

Icarius autem Arcturus nominatus est, cuius stella cum exoritur, continuas tempestates facit; canis Canicula.

II. *(cf. Catasterism. XIII.)*

Schol. Il. *O* 229. *Κρόνος χρησμὸν λαβὼν ὅτι ὁ ἴδιος αὐτὸν τῆς βασιλείας μεταστήσει υἱὸς τὰ γεννώμενα κατέπινεν. Ῥέα δὲ τεκοῦσα Δία Κρόνῳ μὲν λίθον ἀντ᾽ αὐτοῦ σπαργανώσασα ἔδωκε καταπιεῖν, τὸ δὲ παιδίον εἰς Κρήτην διακομίσασα ἔδωκε τρέφειν Θέμιδι καὶ Ἀμαλθείᾳ, ἣ ἦν αἴξ. ταύτην οἱ Τιτᾶνες ὁπότε θεάσαιντο, ἐφοβοῦντο. αὕτη δὲ τοὺς ἑαυτῆς μαζοὺς ἐπέχουσα ἔτρεφε τὸ παιδίον. αὐξηθεὶς δὲ ὁ Ζεὺς μετέστησε τῆς βασιλείας τὸν πατέρα. πολεμούντων δὲ αὐτὸν τῶν Τιτάνων Θέμις συνεβούλευσε τῷ τῆς Ἀμαλθείας δέρματι σκεπαστηρίῳ χρήσασθαι. εἶναι γὰρ αὐτὴν ἀεὶ φόβητρον. πεισθεὶς δὲ ὁ Ζεὺς ἐποίησεν καὶ τοὺς Τιτᾶνας ἐνίκησεν. ἐντεῦθεν αὐτόν φασιν αἰγίοχον προσαγορευθῆναι*

III. *(cf. Catasterism. XIV.)*

Schol. Il. *Σ* 486. *(Πληϊάδες) ζ᾽ ἀστέρες εἰσὶ κείμενοι ἐπὶ τῇ οὐρᾷ τοῦ Ταύρου, μᾶλλον δὲ ἐπὶ τοῦ διχοτομήματος αὐτοῦ· ὁ γὰρ Ταῦρος σῴος οὐκ ἀνηστέρισται, ἀλλ᾽ ἕως τῶν ἰσχίων. αὗται δέ εἰσιν Ἄτλαντος καὶ Πληϊόνης θυγατέρες· ὧν τὰ ὀνόματα Μαῖα Ταυγέτη Κελαινὼ Μερόπη Ἠλέκτρα Στερόπη Ἀλκυόνη. Ἄτλας δὲ εἷς τῶν Γιγάντων μιγεὶς Πληϊόνῃ τῇ Ὠκεανοῦ ἔσχε θυγατέρας ζ᾽, αἳ τὴν παρθενείαν ἀγαπήσασαι συνεκυνήγουν τῇ Ἀρτέμιδι. θεασάμενος δὲ Ὡρίων ἠράσθη καὶ ἐδίωκεν αὐτὰς μιγῆναι βουλόμενος. αἱ δὲ περικατάληπτοι γενόμεναι θεοῖς ηὔξαντο μεταβαλεῖν τὴν φύσιν· Ζεὺς δὲ ἐλεήσας αὐτὰς καὶ διὰ τῶν ἄστρων κατεστήριξεν. ὠνομάσθησαν δὲ Πληϊάδες ἀπὸ Πληϊόνης τῆς μητρὸς αὐτῶν.*

(Ὑάδες) αἱ ἐπὶ τῶν κεράτων τοῦ Ταύρου ζ᾽ ἀστέρες κείμενοι. καλοῦνται δὲ Ὑάδες ἤτοι διὰ τὴν πρὸς τὸ Υ στοιχεῖον ὁμοιότητα, ἢ ἐπειδὴ αἴτιαι ὄμβρων καὶ ὑετῶν καθίστανται.

Ζεὺς ἐκ τοῦ μηροῦ γεννηθέντα Διόνυσον ταῖς Δωδωνίσι νύμφαις τρέφειν ἔδωκεν Ἀμβροσίᾳ Κορωνίδι Εὐδώρῃ Διώνῃ Φαισύλῃ Πολυξοῖ Φαιοῖ. αὗται θρέψασαι τὸν Διόνυσον περιήεσαν σὺν αὐτῷ τὴν εὑρεθεῖσαν ἄμπελον ὑπὸ τοῦ θεοῦ τοῖς ἀνθρώποις χαριζόμεναι. Λυκοῦργος δὲ μέχρι τῆς θαλάσσης συνεδίωξε

---

7 *Quod ipsa Amalthea capra fuisse dicitur, mero scholiastae errore factum esse puto, cum Musaeus Amaltheam capram possedisse narraverit.* 12. 13 *αἰγίοχον προσαγορευθῆναι cf. quod in schol. Arat. servatum est, Musaei versus frustulum αἰγίοχος κικλήσκεται ἀνθρώποισιν.*

15 *ἐπὶ τῇ οὐρᾷ τοῦ Ταύρου:* et postea a nonnullis astrologis caudam Tauri adpellatas *Hyginus. totam historiolam ex Sminthe fluxisse supra demonstravi; ceterum iam Pindarus in dithyrambis similia narraverat cf. schol. Pind. Nem. II, 16 Etym. magn. 675, 36 (= Pindar, fragm. 52 Bergk.) Athenaeum quoque conferre iuvat XI p. 490 D.* 23 *διὰ τῶν ἄστρων κατεστήριξεν scripsi: διὰ τῶν ἄρκτων κατηστέρισεν Ven. A.* 29 *Φαισύλῃ scripsi ex Hesiodo et Hygino, Αἰσύλῃ Ven. A. Φαιοῖ addidi ex Caroli Mülleri sententia Fr. hist. graec. I p. 84. cf. Catasterismos et Hesiodi fragm. 181 Markscheffel.*

τὸν Διόνυσον· ἐκείνας δὲ ὁ Ζεὺς ἐλεήσας κατηστέρισεν. ἡ ἱστορία παρὰ Φερεκύδει. τὰς μὲν κατηστερισμένας ἐν τῷ μετώπῳ τοῦ Ταύρου Ὑάδας φασὶν εἰρῆσθαι, τὰς δὲ ἐπὶ τῆς ἡμιτόμου πλευρᾶς Πληϊάδας καλεῖσθαι. Ἄτλαντος γὰρ τοῦ Ἰαπετοῦ καὶ Αἴθρας τῆς Ὠκεανοῦ, καθά φησι Μουσαῖος, θυγατέρες δώδεκα καὶ υἱὸς Ὗας. τοῦτον ἐν Λιβύῃ κυνηγετοῦντα ὄφις κτείνει· καὶ αἱ μὲν ε′ τὸν ἀδελφὸν θρηνοῦσαι ἀπόλλυνται διὰ λύπην, ἃς δι' οἶκτον κατεστερίσας ὁ Ζεὺς Ὑάδας ἐπωνόμασεν ἐπωνυμίᾳ τοῦ ἀδελφοῦ. αἱ δὲ ζ′ βραδέως μὲν πλείους δὲ ἀποθανοῦσαι Πληϊάδες εἴρηνται. Φερεκύδης δὲ, καθὰ προείρηται, τὰς Ὑάδας Δωδωνίδας νύμφας φησὶν εἶναι καὶ Διονύσου τροφούς, ἃς παρακαταθέσθαι τὸν Διόνυσον Ἰνοῖ διὰ τὸν Ἥρας φόβον, καθ' ὃν καιρὸν αὐτὰς καὶ Λυκοῦργος ἐδίωξεν. τῶν δὲ Πληϊάδων οὐσῶν ἑπτὰ πάνυ ἀμαυρὸς ὁ ἕβδομος ἀστήρ ἐστιν. ὡς μὲν Ἄρατος ἐν τῷ πρὸς Θεόπροπον ἐπικηδείῳ φησὶν Τροίας πορθουμένης τὴν Λαρδάνου μητέρα Ἠλέκτραν μίαν οὖσαν τῶν Πληϊάδων φυγεῖν τε τὴν τῶν ἀδελφῶν σύνοδον καὶ τὰς κόμας λύσασαν ἐνίοτε κομήτην ἀστέρα φαίνεσθαι. φησὶ δὲ καὶ Ἑλλάνικος ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀτλαντικῶν τὰς μὲν ζ′ θεοῖς συνελθεῖν, Ταϋγέτην Διΐ, ὃν γενέσθαι Λακεδαίμονα, Μαῖαν Διΐ, ἀφ' ὧν Ἑρμῆς, Ἠλέκτραν Διΐ, ὃν Δάρδανος, Ἀλκυόνην Ποσειδῶνι, ὃν Ὑριεύς, Στερόπην Ἄρει, ὃν Οἰνόμαος· Κελαινὼ Ποσειδῶνι καὶ αὐτὴν συγγενέσθαι, ὃν Λύκος, Μερόπην δὲ Σισύφῳ θνητῷ ὄντι, ὃν Γλαῦκος· διὸ καὶ ἀμαυρὰν εἶναι.

---

4 *Μουσαῖος scripsi cf. supra p. 13.* Τίμαιος *Ven. A.* 6 *διὰ λύπην, ἃς Wilamowitzius.* τὰς δὲ λοιπὰς *Ven. A.* 7 *ὁ addidit Wilamowitzius.* αἱ δὲ ζ′ βραδέως μὲν πλείους δὲ ἀποθανοῦσαι *Wilamowitzius.* αἱ δὲ πλείονς βραδέως μὲν πλὴν ἀποθανοῦσαι *Ven. A. nimirum* πλείονς, *quod a correctore ad* πλὴν *recte adscriptum erat, falso loco in textum receptum* ζ′ *numerum sede expulit.*

10930899

10930899

ERATOSTHENIS CATASTERISMORVM

FRAGMENTA.

10930899

Breviter mihi praefandum est quid hac fragmentorum conlectione praestare voluerim. Catasterismos restituere conamur, non Catalogos; fragmenta igitur, ut in quinque illis qui maxime in censum veniunt libris extant, ita distincta proposui. duobus, quae ex Eudocia et Achille Tatio accedunt, fragmentis inter Epitomen locum dare volui. qui praeterea subinde aut Catalogos aut Catasterismos legisse videntur, poetas et scriptores in adnotationibus Epitomae subiectis indicavi, e quibus Avieni ipsos versus saepius exscripsi. ea quae a Catasterismis aliena scriptores ipsi, Hyginus maxime, aut de suis aut aliunde admiscuerunt, litteris inclinatis distinxi; si quae ipse addenda esse censui, — factum autem id potissimum in stellarum catalogis — uncis inclusi. nova subsidia critica in Epitome aut in scholiis in Germanicum recensendis mihi praesto non fuerunt; neque profecto opus sunt. in hac Westermannum, in illis, ut par est, Breysigium maxime secutus sum; neque tamen in adnotationibus criticis leviores, e quibus disci nihil potest, discrepantias librorum adferendas esse duxi; quas si quis cognoscere voluerit, Breysigii editionem adeat. Arati scholia ex Marciano 476 et Vaticano 1307 dedi, quorum illum Wilamowitzius meus totum, huius magnam partem ipse contuli. in Hygino eis quae Bursianus nuper publici iuris fecit (Sitzungsbericht d. k. bayr. Akademie 1876 p. 1 s.) subsidiis criticis non minus, quam eis, quae ex Buntii editione peti possunt, usus sum. denique insigni bibliothecarii Lugdunensis liberalitate factum est, ut Vossianum primum, quem vocant, ipsi excutere liceret. Vossianum primum dico, nam ita vocat Kiehlius (Mnemosyne II 1853 p. 86), cuius descriptio in librum quem ego contuli accuratissime quadrat, nisi quod mihi XI potius quam X saeculo exaratus esse visus est. diserte hoc monendum erat, nam saepius fit, ut quas Staverenus ex Voss. I adfert lectiones in libro a me conlato non extent, contra quae ex Voss. II adnotat ea saepius cum libro illo congruunt; ita ut summa neglegentia eum egisse adpareat. desunt autem hodie in Vossiano folia quae alterius libri posteriorem partem (inde a Cancro XXIII ad finem) continebant; huius igitur libri lectiones praeter leves librarii errores ubique adnotavi.

ceterum recensionem, latinorum maxime scriptorum, incohatam potius esse quam perfectam minime me fugit. ubi ceterorum testium consensus de sententia restituenda dubitationem eximebat, audacius nonnunquam progressus sum, id maxime agendum esse ratus, ut quae in Catasterismis fabulae forma extitisset perspiceretur. ad singula verba quod attinet, multa Hygino reliqui quae ita ab eo scripta esse nequaquam spondeo. nam antequam de codicibus eius accurate edocti simus, via ac ratione procedi posse nego, medicamina autem in dissimulatis et oblitteratis ulceribus adhibere nolui.

10930899

SIGNIS VTOR HISCE.

M — Arati codex Marcianus 476 saec. XI.
V — „ „ Vaticanus 1307 saec. XI vel XII.

B — Germanici codex Basileensis saec. VIII.
P — „ „ Parisinus 7886 olim Putéaneus saec. IX.
G — „ „ Sangermanensis 778 saec. IX.
S — „ „ Strozzianus saec. XIV.
U — „ „ Urbinas 1358 saec. XV.

β Breysigii } coniecturas significat.
ε Eyssenhardtii }

B — Hygini codex Bruxellensis 10078 saec. XII.
D — „ „ Dresdensis 183 saec. X.
G — „ „ Guelferbytanus saec. XII.
M — „ „ Montepessulanus 334 saec. X.
P — „ „ Parisinus 8663 saec. XI.
R — „ „ Reginensis 1260 saec. IX.
V — „ „ Vossianus, nunc Lugdunensis 84 saec. XI.

	Epitome.	Schol. Arat. v. 27. p. 54, 20.	Schol. Germ. BP. p. 58, 5.
I. Ἄρκτος ἡ μεγάλη.	Ταύτην Ἡσίοδός φησι Λυκάονος θυγατέρα ἐν Ἀρκαδίᾳ οἰκεῖν, ἐλέσθαι δὲ μετὰ Ἀρτέμιδος τὴν περὶ τὰς θήρας ἀγωγὴν ἐν τοῖς ὄρεσι ποιεῖσθαι· φθαρεῖσαν δὲ ὑπὸ Διὸς ἐμμεῖναι λανθάνουσαν τὴν θεόν· φωραθῆναι δὲ ὕστερον ἐπίτοκον ἤδη οὖσαν ὀφθεῖσαν ὑπ᾽ αὐτῆς λουομένην· ἐφ᾽ ᾧ ὀργισθεῖσαν τὴν θεὸν ἀποθηριῶσαι αὐτήν· καὶ οὕτως τεκεῖν ἄρκτον γενομένην τὸν κληθέντα Ἀρκάδα.	Ἡσίοδος δέ φησι Λυκάονος αὐτὴν θυγατέρα εἶναι καὶ ἐν Ἀρκαδίᾳ κατοικοῦσαν ἐλέσθαι μετὰ Ἀρτέμιδος τὴν περὶ τὰς θήρας ἀγωγὴν ἐν τοῖς ὄρεσι ποιεῖσθαι· φθαρεῖσαν δὲ ὑπὸ Διὸς ἐμμεῖναι ἐν τοῖς πρότερον κλέπτουσαν τῇ Ἀρτέμιδι τὸ σύμπτωμα· ἤδη δὲ ἐπίτοκον οὖσαν ὀφθῆναι ὑπ᾽ αὐτῆς λουομένην· ἐφ᾽ ᾧ ὀργισθεῖσαν τὴν Ἄρτεμιν θηριῶσαι αὐτήν· καὶ οὕτω τεκεῖν ἄρκτον οὖσαν τὸν κληθέντα Ἀρκάδα.	Hanc Hesiodus dicit Lycaonis filiam in Arcadia solitam cum Diana venari et in montibus vagari; quae vitiata ab Iove celaverit Dianam; quam gravidam nudam lavantem cum adspexisset, irata dea efferavit eam; et dum esset ursa, Arcada esse enixam.
			Amphis comicus poeta refert Iovem Dianae ef-

I. Testimonia. *Avienus* 105: Has pater omnipotens nemorosi in valle Lycaei ‖ adsuetas duris quondam venatibus aethrae ‖ intulit et rapto genetricis flore sacravit.

7 *δὲ scripsi ex schol. Arat.* τε *libri.* 10 *ἐπίτοκον Koppiersius:* ἐπὶ τόκον *libri.*

1 *Λέγει δὲ Ἡσίοδος V.* 2 *αὐτὴν om. M.* 6 *τὰς om. V. ἀγωγὴν M. διαγωγὴν V.* 7 *ἐν τοῖς ὄρεσι ποιεῖσθαι om. V.* 10 *κλέπτουσαν Wilamowitzius:* λέγουσαν *M. pro* ἐμμεῖναι — κλέπτουσαν: κρύπτειν *V.*

Schol. Germ. G. p. 112, 8.

Helicen autem dicit Hesiodus Lycaonis filiam fuisse. quae cum in Arcadia habitaret et cum Diana venationis causa in montibus esset et a Iove violata rem celaret Dianae, in lavacro partum accelerans ab ea deprehensa, quia factum celavit, bestia fieri iussa est et parere Arcturum, quem vocant Arcadem.

Amphis autem dicit Iovem Dianae adsimulatum cum ea coisse et eam

Hyginus II, 1.

I. *Ursa maior.*

Hanc autem Hesiodus ait *Callisto nomine* Lycaonis filiam eius qui in Arcadia regnavit, eamque studio venationis inductam ad Dianam se adplicuisse, *a qua non mediocriter esse dilectam propter utriusque consimilem naturam.* postea autem ab Iove compressam veritam Dianae suum dicere eventum, quoad diutius celare non potuit. nam iam utero ingravescente prope diem partus in flumine corpus *exercitatione defessum* cum recrearet, a Diana cognita est non conservasse virginitatem. *cui dea pro magnitudine suspicionis non minorem retribuit poenam. erepta enim facie virginali* in ursae speciem est conversa, *quae graece ἄρκτος adpellatur.* in ea figura corporis Arcada procreavit. sed, ut ait Amphis comoediarum scriptor, Iupiter simulatus effigiem Dianae, cum virgi-

1. 2 *post* Lycaonis: regis *S.*

Testimonia: *exscripsit Servius Georg I 138 p. 193 Lion. in adnot.*

8. 9 suum — eventum i. e. *τὸ σύμπτωμα.* quoad *scripsi:* quod *libri.* 10 ingravescente: intumescente *V.* 11 prope diem partus *i. e. ἐπίτοκος.* 13 conservasse: servasse *V.* observasse *G.* 19. 20 ut Amphis c. s. dicit *R.*

figie transfiguratum in venatione Callistum compressisse. tempore partus pleno cum vexaretur, Dianae culpam vindicasse; iratam Dianam in ursam eam transfigurasse.

οὖσαν δὲ ἐν τῷ ὄρει θηρευθῆναι ὑπὸ αἰπόλων τινῶν καὶ παραδοθῆναι μετὰ τοῦ βρέφους τῷ Λυκάονι· μετὰ χρόνον δέ τινα δόξαι εἰςελθεῖν εἰς τὸ τοῦ Διὸς ἄβατον ἀγνοήσασαν τὸν νόμον. ὑπὸ δὲ τοῦ ἰδίου υἱοῦ διωκομένην καὶ τῶν Ἀρκάδων καὶ ἀναιρεῖσθαι μέλλουσαν διὰ τὸν εἰρημένον νόμον ὁ Ζεὺς διὰ τὴν συγγένειαν αὐτὴν ἐξείλετο καὶ ἐν τοῖς ἄστροις αὐτὴν ἔθηκεν· Ἄρκτον δὲ αὐτὴν ὠνόμασε διὰ τὸ συμβεβηκὸς αὐτῇ σύμπτωμα.

οὖσαν δὲ ἐν τῷ ὄρει θηρευθῆναι ὑπὸ αἰπόλων τινῶν καὶ παραδοθῆναι Λυκάονι μετὰ τοῦ βρέφους· μετὰ χρόνον δέ τινα δόξαι εἰςελθεῖν εἰς τὸ Λύκαιον, ὅ ἐστι τοῦ Διὸς λεγόμενον ἄβατον, ἀγνοήσασαν τὸν νόμον, ὑπὸ τοῦ ἰδίου δὲ υἱοῦ διωκομένην καὶ αὐτῶν τῶν Ἀρκάδων ἀναιρεῖσθαι μέλλουσαν διὰ τὸν εἰρημένον νόμον ὁ Ζεὺς διὰ τὴν συγγένειαν αὐτὴν ἐξείλετο καὶ ἐν τοῖς ἄστροις ἔθηκεν, Ἄρκτον δὲ αὐτὴν ὠνόμασε διὰ τὸ σύμπτωμα.

Quae dum in montibus vagaretur, a quibusdam pastoribus comprensam cum puero et perductam ad Lycaonem; post tempus in Lycaei Iovis templo confugisse, cum eam Arcas filius persequeretur, ubi nefas erat intrare. cum ab Arcadibus utrique interfici possent, Iupiter utrosque caeli astris intulit ursamque eam nominavit.

15 *post* ἄβατον: ἱερόν *libri. del. Koppiersius.* 16-19 ὑπὸ δὲ τοῦ ἰδίου υἱοῦ διωκομένην καὶ τῶν Ἀρκάδων καὶ ἀναιρεῖσθαι μέλλουσαν: *verba mendo, sed satis antiquo, quod iam Arati scholiastes in exemplo suo invenit, deprarata; genuina legerunt Hyginus et Germanici interpretes, unde quid scriptum fuerit, adparet. Koppiersius distinctionem ante* ὑπὸ *tollit, post* διωκομένην *ponit, mox scribit* καὶ ὑπὸ τῶν Ἀρκάδων ἀναιρεῖσθαι μέλλουσαν; *recte quidem, sed dicendum erat, Arcades et matrem et filium interfecturos fuisse, quod nisi vi adhibita cum restitui nequeat, verba vitium contraxerunt tale, qualia in Epitome sanare nolim, quid in Catasterismis scriptum fuerit, in adnotationibus moniturus.*

11 Λύκωνι *V.* 18 δὲ *om. M.* 18. 19 διωμένην *V.* 19 καὶ αὐτῶν (*debebat* αὐτὴν *vel melius* αὐτοὺς) τῶν Ἀρκάδων ἀναιρεῖν μελλόντων *M.* 23. 24 αὐτήν *dedi ex Epitome:* αὐτῆς *MV; nempe* διὰ τὴν συγγένειαν *et hic et in Epitome est* διὰ τὸ συγγενέσθαι αὐτῇ. 25 *post* ἄστροις: αὐτὴν *M.* 27 σύμπτωμα *V.* πτῶμα *M.*

2. 3 compressisse *B.* oppressisse *P* 4 vexaretur *nempe interrogationibus cf. III, p. 60, 19.* 5 vindicasse *Wilamowitzius:* indicasse *BP.* 7 eam *addidi.*

14 confugisse *scripsi.* confugiens *BP* confugientem *Buhlius.* 15. 16 persequeretur *Kiesslingius.* prosequeretur *BP.* 17 cum ε, *qui et post* intrare *distinxit:* eum *BP.*

concepisse. cum ergo nollet interrogantibus post partum dicere a quo concepisset, tandem perpessae violationis Dianam culpabilem dixit. quae mox ab ea in bestiam conversa est et cum puero Lycaoni tradita et a Iove una cum filio inter astra conlocata Arcturi nomen propter ruinam sortita est.

nem venantem ut adiutans persequeretur, amotam a conspectu ceterarum compressit. quae rogata a Diana, quid ei accidisset, quod tam grandi utero videretur, illius peccato id evenisse dixit. itaque in quam figuram supra diximus eam Diana convertit.

Quae cum in silva ut fera vagaretur a quibusdam Aetolorum capta ad Lycaonem *pro munere in Arcadiam* cum filio est deducta. ibi dicitur inscia legis in Iovis Lycaei templum se coniecisse; quam confestim filius est secutus. itaque cum eos Arcades insecuti interficere conarentur, Iupiter memor peccati ereptam Callisto cum filio inter sidera conlocavit eamque Arctum, *filium autem Arctophylaca* nominavit, *de quo posterius dicemus.*

1. 2 interrogantibus post partum: *graeca verba aut perperam intellecta aut liberius reddita sunt, nisi forte scribendum est:* interroganti deae prope partum.

11 Arcturi: *debebat* Arcti, *sed constanti errore Arctos Arcturos nominat.* ruinam *ita reddit σύμπτωμα. cf. Arati interpretem latinum, cuius verba sub II adscripsi.*

1 adiutans *G.* adiuvans *DV.* 2 ceterorum *DV.* a ceteris *G.* 6 *post* itaque: propter eius responsum *libri. patet glossema.* supra: superius *R.* 9 Aetolorum: *legit igitur ὑπὸ Αἰτωλῶν τινῶν cf. Prolegomena p. 1.*

11 ibique *D.* 15. 16 memor peccati *i. e. διὰ τὴν συγγένειαν.*

Ἔχει δὲ ἀστέρας ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ζ′ ἀμαυρούς, ἐφ᾽ ἑκατέρων τῶν ὠτίων β′, ἐπ᾽ ὠμοπλατῶν λαμπρὸν α′, ἐπὶ τοῦ στήθους (α′, ἐπὶ τοῦ ἔμπροσθεν ποδὸς) β′, ἐπὶ τῆς ῥάχεως λαμπρὸν α′, ἐπὶ σκελῶν ὀπισθίων β′, ἐπ᾽ ἄκρου τοῦ ποδὸς β′, ἐπὶ τῆς κέρκου γ′· τοὺς πάντας κγ′.

Ἔχει δὲ ἀστέρας ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ζ′ ἀμυδρούς, ἐφ᾽ ἑκατέρων τῶν νώτων β′, ἐπὶ τῶν ὠμοπλατῶν α′, ἐπὶ τοῦ ἔμπροσθεν ποδὸς β′, ἐπ᾽ ἄκρων τῆς ῥάχεως α′ λαμπρόν, ἐπὶ δὲ τοῦ ὀπισθίου σκέλους β′, ἐπ᾽ ἄκρων τῶν ποδῶν β′, ἐπὶ τῆς κέρκου γ′· οἱ πάντες κδ′.

Habet stellas in capite septem obscuras et in singulis umeris singulas, in armo unam, in pectore unam, in pede priore claras duas, in summa cauda claram unam, in crure posteriore duas et in extremo pede duas, in cauda tres, fiunt XXIII.

TESTIMONIA *Hygini Fab.* 177. *in calce haec ab interpolatore addita:*

haec habet stellas in capite septem non claras, in utraque aure duas, in armo unam, in pectore claram unam, in pede priore unam, in extrema coxa claram unam, in femine posteriori duas, in pede extremo duas, in cauda tres. omnes numero viginti (*debebat* duae et viginti).

3 τῶν *addidi.* 6. 7 α′, ἐπὶ τοῦ ἔμπροσθεν ποδός *inserui. Fellus post* 9 σκέλεσιν *inserere voluit* ἐμπροσθίοις β′. 9 σκελῶν ὀπισθίων *scripsi.* σκέλεσιν ὀπισθίοις *libri.* 10. 11 ἄκρου τοῦ ποδὸς *scripsi.* ἄκρῳ τῷ ποδὶ *libri.* 13 κγ′ *scripsi;* κδ′ *libri. mendum satis antiquum, quod in schol. Arat. recurrit; rectum numerum servarunt schol. Germ. BP.*

4 νώτων *ritium antiquum pro* ὠτίων; *idem ritium in exemplo, ex quo schol. Germ. BP versa sunt, extabat.* 4 ἐπὶ τῶν νώτων ς′, β′ *V,* α′ *post* ὠμοπλατῶν *omisso.* τῶν ὠμοπλατῶν *scripsi.* τοῖς ὠμοπλάταις *libri.* 5 *post* ὠμοπλάταις α′ *addere debebat* ἐπὶ τοῦ στήθους α′. α′ *M.* β′ *V.* 5. 6 ἐπὶ τοῖς ἔμπροσθεν ποσὶ *V.* 7 ἄκρον *M.* 8 δὲ *om. V.* 11 τῆς *M.* τοῦ *V.* γ′ *om. V, qui numerus omissus causa fuit, cur in hoc libro et ceteri numeri ad sequentia quisque verba perperam referretur, et* 3 *post* νώτων, *ut ratio constaret, insereretur* ς′.

2 obscuras, *quod in BP post* 3 singulas *legitur, huc revocari.* umeris *legit* νώτων. singulas *debebat* binas; *sed idem error in G., unde adparet iam graeca verba corrupta fuisse; post* singulas: duas *BP i. e.* II, *quod a correctore additum S perperam ad armum refert nec melius Breysigius post* 4 in pectore *traicit.* 5 cauda: *aut ita perperam vertit* ῥάχις *aut vocabulum ex sequentibus huc temere inlatum in* spina *corrigendum est.* 7 *post* unam: in ventre claram unam *BP. deleri verba aperte interpolata.*

Habet autem stellas in capite VII obscuras, in singulis auribus singulas, in scapulo unam, in pectore unam, in pede anteriore unam, in spina unam, in tibia duas, * * * super caudam tres.

1 VII *scripsi:* VI *G.* 4 anteriore, *quod in G post* 5 tibia *legitur, huc traiecci.* unam: *debebat* duas. *sed cf. interpolatorem fabularum Hygini.* 5 *lacunam signari; intercidit* in extremo pede duas *vel simile quid.*

Habet in capite stellas VII omnes obscuras, in utrisque auribus binas, in umero claram I, in pede priore II, in summo interscapilio I, in crure de posterioribus primo II, in pede novissimo II, in cauda ipsa III. ita totius sideris stellae sunt omnino XXII.

3 *post* claram I *addendum erat* in pectore I; *sed cum eadem verba in schol. Arat. omissa sint, idem in exemplo, quo Hyginus utebatur, accidisse adparet.* 3 priore: novissimo *libri et mox* 5 novissimo: priore *libri; quae vocabula inter se commutavi.* 5 II *scripsi:* I *libri.* 7 XXII *scripsi:* XXI *libri. scribendum esset* XXIII, *nisi pectoris stella omissa esset.*

II. Ἄρκτος ἡ μικρά.

Αὕτη ἐστὶν ἡ μικρὰ καλουμένη· προσηγορεύθη δὲ ὑπὸ τῶν πλείστων Φοινίκη· ἐτιμήθη δὲ ὑπὸ τῆς Ἀρτέμιδος. ἀγανακτοῦσα δὲ ὅτι ὁ Ζεὺς αὐτὴν ἔφθειρεν, ἠγρίωσεν αὐτήν· ὕστερον δὲ ἐγνωσμένη λέγεται δόξαν αὐτῇ περιθεῖναι ἀντιθεῖσαν ἕτερον εἴδωλον ἐν τοῖς ἄστροις, ὥστε δισσὰς ἔχειν τιμάς.

Ἀγλαοσθένης δὲ ἐν τοῖς Ναξικοῖς φησὶ τροφὸν γενέσθαι τοῦ Διὸς Κυνόσουραν, εἶναι δὲ μίαν τῶν Ἰδαίων νυμφῶν· ἀφ' ἧς ἐν μὲν τῇ πόλει τῇ καλουμένῃ Ἴστοις τοὔνομα τοῦτο ἦν, ἣν οἱ περὶ Νικόστρατον ἔκτισαν· καὶ τὸν ἐν αὐτῇ δὲ λιμένα καὶ τὸν ἐπ' αὐτῷ τόπον Κυνόσουραν κληθῆναι.

omittunt.

Ursa minor a pluribus Phoenice vocatur; ex eadem ratione, qua superior, astris inlata beneficio Dianae. prius quod Iupiter eam infamasset, efferasse; quod cognita miseratam immortalitate donasse et aliam posuisse ursam, ut essent duo eius beneficia.

Aglaosthenes autem in Naxiacis Cynosuram dicit Iovis fuisse nutricem unam ex Idaeis nymphis, a qua in Cretae oppido Istoe, quod Nicostratus composuit, portum et circa eum locum Cynosuram adpellatam, haec Cynosura fuit cum Telchinis, qui dicuntur Curetes Idaei.

II. TESTIMONIA: 1—11 *Arati interpres latinus (cf. Prolegomena p. 24) a Breysigio conlatus:* honorata est a Diana propter praedictas ruinas. ignorans (*legit ἀγνοοῦσα pro γνοῦσα*) enim, quod Iupiter eam violasset, fecit eam agrestem, postea vero sentiens dicitur gloriam ei superponere adiciens illi aliud signum inter astra, ut duplices habeat honores.

1—11 *narratio nimis decurtata et sensu paene cassa; nempe intercidit Iunonis nomen, intercidit mortis Callistus narratio; genuinam formam legit Hyginus, depravatam et decurtatam Germanici interpretes.* 5 *ἀγαναχτοῦσα scripsi: γνοῦσα libri; de Iunone dictum erat, nunc de Diana intellegitur.* 7 *ἐγνωσμένῃ scripsi: σεσωσμένῃ libri. σεσωφρονισμένῃ Bernhardyus.* 16 *ἐν μὲν τῇ πόλει κτλ. ita verba legisse videtur Germanici interpres G; sed ex schol. Germ. BP scripserim ἐν Κρήτης πόλει. Hyginum ἐπὶ μὲν τῇ πόλει legisse idque verum esse suspicatur Wilamowitzius.* 21 *αὐτῷ Wilamowitzius. αὐτῇ libri, quod legit Hyginus, verum schol. Germ. BP.*

Qui corvus ideo secundum gentilium deliramenta inter astra sedem promeruisse dicitur, quod fuerit in tutela Apollinis et ab eo missus ad fontem, ut diis ad libandum aquam deferret, ficorum ingluvie captus aliquantisper illarum esibus inhians commoratus aquam deferre distulerit et postea deprehendens se diis peccasse denuo ad fontem, ut aquam hauriret, redierit et ab hydra exterritus vas vacuum reportaverit et ut aquam eo tempore non bibat, ab eodem Apolline inhibitum ei fuerit ***.

11 ab hydra exterritus vas vacuum: *haec magister ipse sibi finxit, cum Epitomes verba non intellegeret.*

XLI
Hydra.

Hydra, in qua Corvus insidere et Crater positus existimatur; de qua hanc habemus memoria proditam causam. corvus Apollinis tutela usus. eo sacrificante missus a fonte aquam puram petitum vidit arbores complures ficorum inmaturas; eas exspectans dum maturascerent, in arbore quadam earum consedit. itaque post aliquot dies coctis ficis et a corvo compluribus earum comesis, *** exspectans Apollo corvum vidit cum cratere pleno volare festinantem. pro quo admisso eius dicitur, quod diu moratus sit Apollinem, *qui coactus mora corvi alia aqua est usus,* hac ignominia eum adfecisse, ut quamdiu fici coquerentur, corvus bibere non possit, *ideo quod guttur habeat pertusum illis diebus.* itaque cum vellet significare sitim corvi, inter sidera constituit cratera et supposuit hydram, quae corvum sitientem moraretur. videtur enim rostro caudam eius extremam verberare, ut tandem sinat se ad cratera transire.

3 memoria *DMR:* memoriae *alii.* 5 a fonte *MPR*: ad fontem *DG alii.* 7 maturascerent *R.* maturescerent *DG.* 11 *lacunae signum posui; excidit hydrae mentio, quae nullo modo deesse potest. ceterum nescio an verba sequentia* exspectans — festinantem *ad explendam lacunam ab interpolatore addita sint.* 14 Apollinem *PR.* Apollo *DG. ante* Apollinem: mo.tum *R.* motum *Bursianus. sed dittographia est.* 15 *ante* hac ignominia: unde *R*, *quod* inde *esse arbitratur Bursianus; sed recte monet Wilamowitzius* undae *esse, quod ad* aqua *nescio quis in margine adscripsit.* igitur *post* hac *D.* 24 tandem *scripsi:* tamquam *libri.* 25 cratera *scripsi:* crateram *libri.*

κεν ἐν τοῖς περὶ θηρίων, μνημόνευμα δὲ δώσων τῆς εἰς θεοὺς ἁμαρτίας σαφὲς εἰκονίσας ἐν τοῖς ἄστροις ἔθηκεν εἶναι τόν τε Ὕδρον καὶ (τὸν Κρατῆρα καὶ τὸν Κόρακα) μὴ δυνάμενον πιεῖν καὶ μὴ προσελθεῖν.

Ἔχουσι δ' ἀστέρας ὁ μὲν Ὕδρος ἐπ' ἄκρας τῆς κεφαλῆς γ' λαμπρούς, ἐπὶ τῆς πρώτης καμπῆς ς', λαμπρὸν δὲ α' τὸν ἔσχατον, ἐπὶ τῆς δευτέρας καμπῆς γ', ἐπὶ τῆς τρίτης δ', ἐπὶ τῆς τετάρτης β', ἀπὸ τῆς ε' καμπῆς μέχρι τῆς κέρκου θ' ἀμαυρούς, τοὺς πάντας κζ'. ἔστι δὲ καὶ ἐπὶ τῆς κέρκου ὁ Κόραξ βλέπων εἰς δυσμάς. ἔχει δ' ἀστέρας ἐπὶ τοῦ ῥύγχους ἀμαυρὸν α', ἐπὶ τῆς πτέρυγος β', ἐπὶ τοῦ ὀρθοπυγίου β', ἐφ' ἑκατέρων ποδῶν ἄκρων α'. τοὺς πάντας ζ'. τούτου δὲ ἱκανὸν ἀπέχων ἀπὸ τῆς καμπῆς ὁ Κρατὴρ κεῖται ἐγκεκλιμένος πρὸς τὰ γόνατα τῆς Παρθένου· ἔχει δὲ ἀστέρας ὁ Κρατὴρ ἐπὶ τοῦ χείλους β' ἀμαυρούς, (ὑφ' ἑκάτερα τὰ ὦτα β',) ἐπὶ τοῦ μέσου β' καὶ παρὰ τῷ πυθμένι β'. τοὺς πάντας ι'.

στερίσθαι δὲ πάντων τὰ εἴδωλα.

omittunt.

nas daret. quem postea astris intulit. cratera autem cum aqua medio posuit angue, caudam autem anguis corvum rostro adpetentem, neque posse iuxta ascendere ut bibat.

p. 101, 7.

Habet Anguis stellas in rostro tres claras, in prima flexura VI — una obscura ex eis ad ultimum, — in secunda flexura III, in tertia IIII, in quarta duas, in quinta usque ad caudam VIIII claras. fiunt XXVII. Corvus in cauda spectans occasus. qui habet in acie stellam I claram, in pinnis II, in cauda II, in pedibus singulas ad ungues. fiunt VII. paullum ultra primam flexuram Crater situs est, inclinatus ad genua Virginis. habet in labris stellas duas obscuras, (sub utramque ansam binas,) in medio II, in fundo duas. fiunt X.

TESTIMONIA. *Arien v. 895.* et ingenti sub Virgine summa quiescit.

2 *δὲ post εἰκονίσας traicere vult Westermannus.* 6 *τὸν Κρατῆρα καὶ τὸν Κόρακα add. Heynius.* 33 *ὑφ' ἑκάτερα τὰ ὦτα addidi conl. Hygino.* 36 *ι' scripsi: ς' libri.*

3 aqua *β*: qua *BP.* 5 *post* anguis *in P* in medio *perperam repetitur.* corvum *B.* corvo *P.* 6 neque posse *BP.* ne possit *β.* 12 obscura: *debebat* clara. 16 VIIII *β*: VIII *BP.* 20 claram: *debebat* obscuram. 23 VII *β*: VIII *BP.* 24 ultra primam flexuram *scripsi:* ultra prima flexura *BP.* sub prima flexura *S.* 28. 29 sub utramque ansam binas *addidi conl. Hygino.* 30 II *scripsi:* III *BP.*

omittunt.

Nonnulli cum Eratosthene eum cratera esse, quo Icarus sit usus, cum hominibus ostenderet vinum.

III, 39.

Habet autem in capite stellas III, in prima a capite curvatura VI, sed earum novissimam claram; in secunda curvatura III, in tertia IIII, in quarta II, in quinta usque ad caudam VIIII omnes obscuras. omnino numero XXVII. Corvus autem habet in gutture stellam I, in penna II, infra pennam caudam versus II, in utrisque pedibus singulas. omnino VII. supra primam a capite curvaturam Crater positus habet in labris stellas II, infra ansas alias duas obscuras, in medio Cratere II, ad fundum II. omnino fiunt X.

Cf. Prolegomena p. 4.

5. 6 cratera: craterem *R.* 10 a capite: capitis *DV.* 12 IIII *V.* III *DGMR.* 14 XXVII *DGV:* XXVI *R.* 16 in penna *R.* in pinna *V.* 20 infra ansas alias *V:* infra autem ansas *DG alii.* 22 X *DGV:* XV *R.*

XLII Προκύων.

Οὗτός ἐστιν ὁ πρὸ τοῦ μεγάλου Κυνός, Προκύων δὲ λέγεται ὡς πρὸ τοῦ κυνὸς ὤν· Ὡρίωνος δὲ κύων ἐστίν· λέγεται γὰρ διὰ τὸ φιλοκύνηγον αὐτὸν εἶναι παρατεθῆναι τοῦτον αὐτῷ· καὶ γὰρ Λαγωὸς ἐχόμενος καὶ ἄλλα θηρία παρ᾽ αὐτὸν συνορᾶται.

Οὗτος δὲ πρὸ τοῦ μεγάλου Κυνός ἐστιν. Ὡρίωνος δὲ λέγεται κύων καὶ διὰ τὸ φιλοκύνηγον εἶναι ταῦτα αὐτῷ περιτεθῆναι τὰ σημεῖα· καὶ γὰρ Ἄρκτος συνορᾶται καὶ (ἄλλα) θηρία παρ᾽ αὐτῷ.

Hic prior dicitur, quia prior oritur quam maior canis, qui Orionis canis dicitur eique tributus, quod studio venandi est deditus. ob quod Ursa ei proxima paret et aliae bestiae.

Ἔχει δὲ ἀστέρας γ′, ὧν εἷς ὁ πρῶτος λαμπρός· καὶ ποιεῖ ὁμοιότητα τοῦ Κυνός, διὸ καὶ Προκύων καλεῖται, καὶ πρότερος ἀνατέλλει καὶ δύνει ἐκείνου. τὰ δὲ μετὰ ταῦτα ἄστρα γίνεται ἐν τῷ ζῳδιακῷ κύκλῳ, ὃν ὁ ἥλιος διαπορεύεται ἐν ιβ′ μησίν, διόπερ καὶ τὰ ζῴδια τούτου ἰσάριθμά ἐστιν.

Habet stellas III. cuius prior clara est. et idem paret ut Canis maior; ideo et Procyon vocatur, quod ante maiorem oriatur. reliquae sunt stellae in signorum circulo, quem sol perambulat in XII mensibus, quod et ipsa XII sint.

XLII TESTIMONIA.

Avien v. 903 trina face viscera lucens.

1 *οἵτος Heynius: αὐτὸς libri.* 4 *ὧν addidi.* 7 *παρατεθῆναι Wilamowitzius: ἀνατεθῆναι libri.* 8 *Λαγωός: cf. supra XXXIV p. 172. 173. ita legisse videtur Germ. G. contra schol. Arat. et schol. Germ. BP Ἄρκτος.* 14 *post ὁ πρῶτος: ἀνατέλλει libri; quae verba ex sequentibus perperam praecepta delevi.* 17 *πρότερος Struvius: πρῶτος libri.* 18 *τὰ δὲ μετὰ ταῦτα ἄστρα κτλ. ex his verbis, quae in Catasterismis inepta sunt, concludo in Catalogis zodiaci signa coniuncta post cetera sidera, sed ante lacteum circulum enumerata fuisse. cf. quae de Catalogorum ordine dixi in Prolegomenis p. 33.*

11 *ἄλλα addidi ex Epitome.*

1 dicitur *om. B,* quia prior *β*: qui *BP.* 4 tributus *scripsi:* tributum *BP.* 5 est *ε*: et *BP.* 7 ei *ε*: et *BP.* 8 aliae bestiae *Schaubachius:* aliae bestia *B.* alia bestia *P.* 14 clara *addidi.* idem *β*: eidem *BP.* 15 paret *Schaubachius*: pares *BP.* 17. 18 oriatur *ε*: oria *BP.* 18 reliquae *Schaubachius:* haec quae *BP.* stellae *om. P.* 19 in — circulo *Schaubachius* ob — circula *BP.* 20 quem sol perambulat *β*: quarum sola adpellatur *BP.*

Antecanis, quod Graeci Procyona eo, quod ante maiorem canem exoriri videatur, adpellant, *est signum.* . . . dicitur ergo fabulose inter astra conlocatus, eo quod canis fuerit Orionis et ad capiendos lepores sive in omni studio venandi exercitatus extiterit.

XLII Procyon.

Hic ante maiorem Canem exoriri videtur, sed a nonnullis Orionis esse existimatur. hac etiam de causa Procyon est adpellatus, sed isdem omnibus historiis quibus superior Canis adnumeratur.

Habet quidem stellas III.

III, 35.

Sed omnino est stellarum III.

XLIII Πλανῆται.

Περὶ τῶν πέντε ἀστέρων τῶν καλουμένων Πλανητῶν διὰ τὸ κίνησιν ἔχειν ἰδίαν αὐτούς. λέγονται δὲ θεῶν εἶναι πέντε. πρῶτον μὲν Διός, Φαίνοντα, μέγαν.

omittunt.

De quinque stellis, quas planetas vocant ob adsiduos earum motus. quinque deis adsignaverunt. de his primus Phaenon, quem Heraclides Ponticus refert a Prometheo pulcherrimum fictum hominem. quem cum occulisset et Cupido eum Iovi indicasset, misit is Mercurium, qui eum tamquam ad immortalitatem vocaret. qui non ante adnuit, quam potione accepta caelo receptus honoratus est. Iovis est stella Phaenon.

Ὁ δὲ δεύτερος ἐκλήθη μὲν Φαέθων, οὐ μέγας. οὗτος δ' ὠνομάσθη ἀπὸ τοῦ Ἡλίου υἱοῦ.

Secundus Phaethon, qui cognominatus dicitur ab Solis filio Phaethonte. post fulminis ictum caelo receptus. hanc stellam quidam Saturni dicunt.

Ὁ δὲ τρίτος Ἄρεως. Πυρόεις δὲ καλεῖται· οὐ μέγας, τὸ χρῶμα ὅμοιος τῷ ἐν τῷ Ἀετῷ.

Tertium sidus Martis, qui Pyrois vocatur, non maximum, igneum colore. qui putatur iuxta Venerem situs hac ex causa: petisse, quod Venerem Vulcanus haberet uxorem, ipse de sideribus ei esset iunctus. Pyrois dicitur a suo fervore et celeritate.

4 *δὲ delere vult Bernhardyus.* 16 *δὲ et* 17 *δ' addidi.* 24 *Πυρόεις Koppiersius: Πυροειδής libri.*

1 quas *Schaubachius:* quae *BP.* 2 adsiduos: *legit ἀιδίαν pro ἰδίαν, ut monet Wilamowitzius.* 3 deis *ε*: dies *BP.* 4 de his primus Phaenon, quem *Schaubachius, nisi quod* prima *scripsit et post* Phaenon *addidit* dicitur: de his hae non, quae *BP.* 6 a *add. Schaubachius.* 8 eum Iovi *β*: etuitivut *BP.* 9 is *add. β.* 26 igneum *β*: ignem *BP.* 29 *ante* Vulcanus: ipse *BP. del Wilamowitzius corruptelae* missi *emendationem falso loco in textum receptam esse ratus.* 30 ipse *Kiesslingius:* missi *BP.* 32 celeritate: *malim* colore.

Quae Sangermanensis p. 228, 15 — 230, 3 habet, ea maximam partem ex Hygini Astrologia II 43 interpolata sunt. cf. Epimetrum I p. 204.

XLIII Planetae.

Reliquum est nobis de stellis quinque, quas complures ut erraticas, ita planetas Graeci dixerunt.

quarum una est Iovis nomine Phaenon, quem Heraclides Ponticus ait, quo tempore Prometheus homines finxerit, hunc pulcritudine corporis reliquos praestantem fecisse; cumque supprimere cogitaret neque Iovi ut ceteros redderet, Cupidinem Iovi nuntiasse; quo facto missum Mercurium ad Phaenonta persuasisse, ut ad Iovem veniret et immortalis fieret. itaque eum inter astra ferunt conlocatum.

Secunda stella dicitur Solis, quam alii Saturni dixerunt; hanc Eratosthenes a Solis filio Phaethonta adpellatam dicit, *de quo complures dixerunt, ut patris inscienter curru vectus incenderit terras; quo facto ab Iove fulmine percussus in Eridanum deciderit* et a Sole inter sidera sit perlatus.

Tertia est stella Martis, quam alii Herculis dixerunt, Veneris sequens stellam hac, ut Eratosthenes ait, de causa, quod Vulcanus cum uxorem Venerem duxisset, et propter eius observantiam Marti copia non fieret, ut nihil aliud adsequi videretur, nisi sua stella Veneris sidus persequi, hoc a Venere impetravit. itaque cum vehementer amor eum incenderet, rem significans e facto stellam Pyroenta adpellavit.

XLIII Testimonia.

Schol. Germ. G. p. 228, 17 — 230, 3.

1 *post* nobis: disputare *G. om. reliqui.* dicere *inserere vult Bursianus.* 2 ut erraticas, ita: nostri erraticas, ut *Bursianus.* 4 Phaenon *Buntius:* Phaeton *libri.* 9 neque Iovi ut ceteros *DR. atque idem schol. Germ. G.* neque ut certum *BGMP.* 11 Phaenonta *Bursianus:* Phaetonta *libri.* 14 ferunt *ex R add. Bursianus. om. ceteri.* 16 dixerunt *MR:* scripserunt *DG. v. fab. 152.* 21 percussus: percussum *MPR.* percursum *D. om. G.* deciderit *Buntius. cf. schol. Germ. G et fabulas:* deiecerit *DMPR.* deiectus est *G.* 30 hoc *addidi. schol. Germ. G verbis* nisi — persequi *omissis ita exhibent:* a Venere coitum impetravit, *quae et hoc loco absurda et aperte interpolata sunt.*

Ὁ δὲ τέταρτος Φωσφόρος, Ἀφροδίτης, λευκὸς τῷ χρώματι. πάντων δὲ μέγιστός ἐστι τούτων τῶν ἄστρων. ὃν καὶ Ἕσπερον καὶ Φωσφόρον καλοῦσιν.

omittunt.

Quartum sidus Veneris, Phosphoros colore albo, maior omnibus sideribus. quem Hesperum et Phosphorum esse dicunt. est autem pes et caput. quem ob amorem ex Attice rapuit et cum eo concubuit. *** ex hoc honoratus caelo ex utrisque eius partibus Phosphoros et Hesperus vocatur.

Πέμπτος δὲ Ἑρμοῦ, Στίλβων, λαμπρὸς καὶ μικρός· τῷ δὲ Ἑρμῇ ἐδόθη διὰ τὸ πρῶτον αὐτὸν τὸν διάκοσμον ὁρίσαι τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῶν ἄστρων τὰς τάξεις καὶ τὰς ὥρας μετρῆσαι καὶ ἐπισημασίας καιρῶν δεῖξαι· Στίλβων δὲ καλεῖται διὰ τὸ φαντασίαν τοιαύτην αὐτὸν ποιεῖν.

Quintum sidus Mercurii vocatur Stilbon, quem pusillum sed clarum Mercurio adtribuunt, quod is primus constituit orbem caeli et stellarum et horarum. Stilbo vocatur hac ex causa ***

5 *Ἕσπερον Wilamowitzius*: *Ἑωσφόρον libri.* 21. 22 *ἐπισημασίας καιρῶν Wilamowitzius: ἐπισημασιῶν καιροὺς libri.*

2 albo *scripsi:* airo *B.* auro *P.* aureo *ε.* 5.6 est autem pes (pes *om. P.*) et caput: *in his latere* est autem Aurorae et Cephali filius *iam Schaubachius intellexit, nisi quod, ut corruptelae origo intellegeretur,* Eus et Cephali *dicere debebat. duplex autem huius vitii origo cogitari potest: aut enim iam in graeco exemplo cum Ἠοῦς in Ποῦς, id quod facillime fieri potuisse adparet, abiisset, Κεφάλου in κεφαλῇ proterve mutatum est, aut cum interpres* Eus et Cephali *scripsisset, nescio quis* Cephali *id quod κεφαλῇ esse ratus et* caput *superscripsit et* Eus *in* pes *mutavit. cum autem error iam ab ipso interprete commissus esse possit, equidem tradita verba corrigere noluerim.* quem *add. Schaubachius.* 7 ex Attice rapuit *(scil. Cephalum Aurora) Wilamowitzius:* ex apice rapuit *BP. lacunae signum posui; nam cum in praecedentibus de Venere nihil omnino dictum sit, Hesperi autem soli parentes indicati sint, adparet summam rei deesse. quid interciderit, ex Hygino perspicuum, nimirum Hesperum cum Venere de pulcritudine certasse, unde cur Veneris potissimum hoc sidus sit intellegitur.* 10 eius *ε:* eis *B. om. P.* 15 Mercurii *scripsi:* Mercurius *BP.* 16 *post* Stilbon: est *BP. delevi.* pusillum *ε*: post illum *BP.* 18 adtribuunt *β*: adtributum *BP.* primus *Schaubachius:* prius *BP.* 19 orbem *BP:* ordinem *β.* 21 *lacunam statuit β. v. Epitomen.*

omittunt.

Quarta stella est Veneris, Lucifer nomine; quam nonnulli Iunonis esse dixerunt. hanc eandem Hesperum adpellari, multis traditum est historiis. hic autem omnium siderum maximus esse videtur. nonnulli hunc Aurorae et Cephali filium dixerunt, pulcritudine multis praestantem. ex qua re etiam cum Venere dicitur certasse, ut etiam Eratosthenes dicit eum hac de causa Veneris adpellari, et exoriente sole et occidente videri; quare, ut ante diximus, iure hunc et Luciferum et Hesperum nominatum.

Quinta stella est Mercurii, nomine Stilbon. sed haec est brevis et clara. haec autem Mercurio data existimatur, quod primus menses instituerit et perviderit siderum cursus.

5 hic — maximus *DG alii*: haec — maxima *R*. 13 hunc — nominatum *DG alii:* hanc — nominatam *R*. 13 Luciferum *G et alii*. hedum *DMR*. Eoum *Bursianus*.

XLIV Κύκλος γαλαξίας.

Οὗτος γίνεται ἐν τοῖς φαινομένοις κύκλοις· ὃν προσαγορεύεσθαί φασι γαλαξίαν. οὐ γὰρ ἐξῆν τοῖς Διὸς υἱοῖς τῆς οὐρανίου τιμῆς μετασχεῖν, εἰ μή τις αὐτῶν θηλάσειε τὸν τῆς Ἥρας μαστόν. διόπερ φασὶ τὸν Ἑρμῆν μετὰ τὴν γένεσιν ἀνακομίσαι τὸν Ἡρακλέα καὶ προσσχεῖν αὐτὸν τῷ τῆς Ἥρας μαστῷ· τὸν δὲ θηλάζειν· ἐπινοήσασαν δὲ τὴν Ἥραν ἀποσείσασθαι αὐτόν, καὶ οὕτως ἐκχυθέντος τοῦ περισσεύματος ἀποτελεσθῆναι τὸν γαλαξίαν κύκλον.

(ACHILL. TAT. IN ARAT. p. 146 *E. περὶ δὲ τούτου φησὶν Ἐρατοσθένης ἐν τῷ Καταστερισμῷ μυθικώτερον, τὸν γαλαξίαν κύκλον γεγονέναι ἐκ τοῦ τῆς Ἥρας γάλακτος· τοῦ γὰρ Ἡρακλέους ἔτι βρέφους ὄντος καὶ τὸν μαστὸν τῆς Ἥρας ἐπισπασαμένου σφοδρότερον ἐκείνην ἀντισπάσαι, καὶ οὕτως περιχυθέντος τοῦ γάλακτος κύκλον γενέσθαι παγέντος. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τοῦ Ἑρμοῦ λέγει γεγενῆσθαι Ἐρατοσθένης, ὡς ἄρα ὁ Ἑρμῆς τοῦ μαστοῦ τῆς Ἥρας ἐπεσπάσατο.*)

Ostenditur autem unus inter circulos caeli, qui lacteus vocatur, quod albis nubibus denotetur circuitus eius. quod Iuno lacte mamillis effudisse dicitur, cum audisset, Herculem suum filium non esse.

Ἐρατοσθένης δέ φησι, μυθικῶς αὐτὸν ἐξηγούμενος, ὑπὸ τοῦ τῆς Ἥρας γάλακτος γεγενῆσθαι ἐκχυθέντος· ἤκουσε γὰρ παρὰ τοῦ Ἑρμοῦ, ὅτι οὐκ ἴδιος αὐτῆς ἐστίν.

Alii dicunt per Saturnum factum, cum lapidem ei Ops pro Iove attulit, dicens hoc esse, quod peperisset. quia ob naturam Saturnus non crederet eam peperisse, mamillis elatis expressisse et ostendisse lactem iratam. effusum est lacte; facta est circuli albi species.

Vide Prolegomena p. 29 s.

6 *θηλάσειε Heynius: θηλάσει libri.* 7 *μετὰ Heynius: ὑπὸ libri.* 18 *Καταστερισμῷ Koppiersius: καταμερισμῷ libri.*

6 lacte *addidi.* lac *ε.* 33 lapidem ei Ops *β*: lapide mors *B.* lapide morso *P* (in lapidem *BP priore loco, ubi haec ad verbum repetita sunt. v. Breysigii adnotationem.)* 36 quia *β*: qui *BP.* 40 lactem iratam *ε*: lacte mirata *BP.*

Praeterea ostenditur circulus quidam in sideribus candido colore, quem lacteum esse nonnulli dixerunt. *XLIV Circulus lacteus.*

alii dixerunt dormienti Iunoni Herculem suppositum, et experrectam *id quod supra diximus* fecisse.

omittunt.

Alii autem Herculem propter nimiam aviditatem multitudinem lactis adpetisse neque in ore continere potuisse, quod ex ore eius profusum circulum significasse.

Eratosthenes enim dicit Mercurio infanti puero insciam Iunonem dedisse lacte; sed postquam rescierit eum Maiae filium esse, reiecisse eum ab se; ita lactis profusi splendorem inter sidera adparere.

Alii dicunt, quo tempore Ops Saturno lapidem pro partu attulit, iussisse ei lacte praebere; quae cum pressisset mammam, profuso lacte circulum deformatum, quem supra demonstravimus.

Vide Prolegomena p. 6. ceterum moneo apud Hyginum haec ita sese excipere: 1—3. 26—31. 4—6. 16—20. 32—36. ego eum ordinem restitui, quem in Catasterismis fuisse suspicor.

26 dicit Mercurio: in Mercurio dicit *MR.* 28 *et* 34 lacte *DM:* lac *R.*

10930899

INDEX AVCTORVM.

Eratosthenes 39, 13. II 59 b 12. III 61 b 19. IV 63 b 23. VI 69 b 27. XI 93 b 13. XII 99 b 7. XIV 106 c 10. XIX 124 b 3. 125 b 23. XXI 129 b 1. XXIV 139 b 2. 141 b 9. 143 b 5. XXVII 149 b 8. XXIX 155 b 1. XXX 157 a 13. XXXI 159 b 2. XXXIX 182 b 1. XLI 191 b 5. XLIII 195 b 17. 26. 197 b 10. XLIV 198 a 17. 29. 199 b 26.

Aratus *Φαινόμενα* II 58 a 1. c. 1. 59 a 1 (v. 31—37). IX 82 a 5. 83 a 3. b 2 (v. 96—136). XVIII 120 a 3. c 3. 121 b 1 (v. 216—221). XXXVII 176 a 21. c. 20 (v. 360). *Ἐπικήδειον πρὸς Θεόπροπον* 43, 12 = XXIII 136 b 15.

Aeschylus XXII 130 a 12. c 8. 131 b 17 (*Φορκίδες* fr. 255 Nauck). XXIV 140 a 17. c 12 (*Βασσαρίδες* p. 7 Nauck).

Aglaosthenes *Ναξικά* II 56 a 12. c 12. 57 a 12. b 12 (F. H. G. IV p. 293, 1). XXX 156 a 13. c. 13. 157 b 13 (F. H. G. IV p. 293, 2). XXXI 161 b 1.

Amphis I 50 c 20. 51 a 20. b 20 (Meineke Fr. Com. III p. 320, 11). XXXIII 168 c 8 (l. l. III p. 320, 12 s.).

Antisthenes Socraticus *ἐν τῷ Ἡρακλεῖ* XL 184 a 9. 185 a 5 (fr. 5 W.).

Aristomachus XXXII 164 c 25. 165 a 25. b 25.

Aristoteles XXXIV 172 a 14. 173 a 14 (histor. animal. VI 33 p. 580 Bekk). XLI 188 a 26. c 24 (fr. 320 p. 345 Rose).

Artemidorus *περὶ Ἔρωτος ἐλέγειαι* XXXI 158 a 24. c 23.

Callimachus *Βερενίκης πλόκαμος* XII 99 b 5 (Schneider Callimachea II p. 144 s.).

Cratinus *Νέμεσις* XXV 142 a 22. c 15. 143 a 14 (Meineke Fragm. Com. II p. 81.).

Ctesias XXXVIII 180 a 7. 181 b 24 (fr. 5 Müller).

Epimenides *Κρητικά* V 66 c. 17. 67 b 17. XXVII 148 a 8. c 8.

Euripides XIII 98 a 23. 99 b 23 (fr. 917 Nauck). XIV 106 a 5. 107 b 3 (*Φρίξος* fr. 817 Nauck). XV 114 a 7. c 6. 115 a 5. b 1 (*Ἀνδρομέδα* p. 312 Nauck). XVII 118 a 11. c 11. 119 a 1. b 10 (ibidem). XVIII 120 a 16. c 16. 121 b 16 (*Μελανίππη* fr. 492 Nauck). XXIX 154 a 9 (*Ἄλκηστις* v. 1—7).

Hellanicus 43, 15 = XXIII 134. 135 (F. H. G. I p. 52 fr. 56).

Heraclides Ponticus *περὶ δικαιοσύνης* XXIX 154 a 13. XLIII 194 c 5. 195 b 5.

Hesiodus I 50 a 1. b 1. c 1. 51 a 1. b 1 (fr. 182 Markscheffel). IX 82 a 1. b 5. c 1. 83 a 1. b. 1 (*Θεογονία* 901. 902. *Ἔργα* 256). XVIII 120 b 16 (*Θεογονία* 286). XIX 124 a 5. c 4. 125 a 1. b 3 (fr. 183 Markscheffel). XXXII 162 a 1. b. 2. c 1. 163 a 1. b 1 (fr. 185 Markscheffel).

Homerus X 87 b 17 (*λ* 299—304).

Musaeus XIII 100 a 23. c 23. 101 b 23 (fr. 7 Kinkel). 43, 4. XIV 110 b 1. c 1. 111 b 2 (fr. 12 Kinkel).

Myrtilus XIV 110 b 24. c 24 (F. H. G. IV p. 458 fr. 6).

Panyasis *Ἡράκλεια* IV 64 c 3. 65 b 8 (fr. 10 Kinkel). XI 88 a 21. c 20. 89 a 17 (fr. 3 Kinkel).

Pherecydes III 60 a 12. c 12. 61 a 4. b 8 (F. H. G. I p. 79 fr. 33 a). 43, 8. XIV 106 b 22. c 20. 107 a 20. b 21. 109 c 3 (F. H. G. I p. 84 fr. 46). XIX 124 a 5. 125 a 1. b 3 (F. H. G. I p. 86 fr. 53).

Philiscus XI 90 c 14.

Pisander *Ἡράκλεια* XII 96 a 10. c 8. 97 b 6 (fr. 1 Kinkel).

Sminthes vel Minthes XXIII 136 in adnotatione.

Sophocles XVI 116 a 1. c 1. 117 a 1. b 1 (*Ἀνδρομέδα* p. 124 Nauck). XXXVI 176 a 8 (ibidem).

Sositheus XXVIII 150 a 27. c 20. 151 a 13. b 17 (fr. 5 Nauck).

AVCTORES QVORVM NOMINA HYGINVS ADDIDIT.

Asclepiades *Τραγῳδούμενα* XIV 109 b 3 (F. H. G. III p. 304 fr. 19).

Istrus *Ἀττικά* XXXIII 169 b 5 (F. H. G. I p. 420 fr. 18).

10930899

EPIMETRVM I.

DE SCHOLIIS STROZZIANIS.

Laudabili consilio Alfredus Breysigius tria, quae scholiorum in Germanicum extare videbat, genera seorsum excudenda curavit, ita ut quod nunc de his scholiis rectius iudicare licet, id illius potissimum prudentiae debeatur atque diligentiae; sed idem cum unde haec scholiorum diversitas orta esset aut quae inter haec genera ratio intercederet, accuratius perscrutari praetermitteret, largum fertilemque campum incultum reliquit; quem profecto non excoluit, sed lapidibus obrutum vexavit is, qui post Breysigium de horum scholiorum et generibus et fontibus satis inconsiderate disputavit, Josephus Freyius in Musei Rhenani volumine XXV p. 272. cuius equidem dissertationis si hic rationem haberem, et temporis me paeniteret et chartae.

Tres igitur scholiorum in Germanicum distinguuntur classes, quarum primam, quam scholia Basileensia vocamus, partim ex Nigidio Figulo exscriptam, partim ex Eratosthenis Catasterismis versam esse in Prolegomenis ostendi. alteram liber Sangermanensis saec. IX exaratus servavit; quae quas fabulas continet, eas ex Catasterismorum epitome nostrae simillima ab homine Christiano graecae linguae male docto, mythologiae vero vel imperitissimo redditas esse ibidem evici. sed praeter fabulas scholia Sangermanensia etiam docta quaedam continent capita, quibus de sphaerae figuratione, de solis lunae planetarum cursu, de quaestionibus denique meteorologicis satis erudite disputatur. haec autem non ex graeco versa, sed ex latinis fontibus hausta esse ex sermone puro atque emendato primo iam obtutu intellegitur. quid quod eadem aut eisdem verbis aut similibus apud alios scriptores Romanos recurrunt, ut de harum partium origine cum aliqua certe probabilitate iudicare possimus. nam quae de Apolline in scholiorum fine p. 195, 4 — 196, 8 exponuntur, eisdem verbis apud Fulgentium I 11, quae de planetarum per signiferum cursu p. 231, 12 — 232, 8 (exceptis verbis *reliqua autem — interiora austri*), apud Plinium II 66, 67 leguntur, ita ut dubitare nequeas, quin scholiasta utrumque scriptorem exscripserit. similiter quae de planetarum cursibus et ordinibus p. 227, 11 — 228, 8 exponuntur, ea ex Plinio II 32 — 39 et II 69 conflata, quae vero de eisdem narrantur historiolae p. 228, 15 — 230, 3 ex Hygini astrologia II 42 exscriptae sunt, nisi quod in his altera planetarum nomina Phaethon Phaenon Pyrois Phosphorus ex eodem Hygini capite Plinianis

interponuntur, in illis singulorum planetarum in animos mortalium vires atque effectus (p. 228, 18. 229, 1. 12. 19. 20) ex alio fonte, eodem ut mox intellegemus, quo et Isidorus usus est, Hygini narrationi adiunguntur. deinde totum scholiorum prooemium, quo et de caeli positione p. 105 — 107, 13 et de stellis fixis errantibusque p. 221 — 224, 4 agitur, in fragmento, quod in codicibus Censorini de die natali libello adfixum Carrione auctore nunc omnes periti ab illo scriptore abiudicant, totidem verbis recurrere iam dudum animadversum est. cuius altera pars, quae est de stellis fixis et errantibus, etiam in codice aliquo miscellaneo, qui in bibliotheca Bruxellensi [1]) adservatur, legitur praeeunte eadem disputatione quae in Sangermanensi eam excipit, qua involutio sphaerae explicatur p. 224, 5 — 226, 22. sed longe plurima scholiastae communia sunt cum Isidoro, ita quidem ut modo vel eadem verba apud utrumque legantur, modo eaedem res verbis paullo diversis exponantur. primum igitur ad verbum inter se consentiunt

schol. Germ. G. p. 197, 9 — 198, 2 et Isidor Origin. III 52, 1.
„ „ „ p. 194, 4 — 197, 7 et „ „ III 48.
„ „ „ p. 194, 7 — 194, 10 et „ „ III 57.
„ „ „ p. 231, 13 — 231, 16 et „ „ III 32, 1.
„ „ „ p. 201, 13 — 202, 7 et Isidor. de nat. rer. XXXVIII 2. 3.
„ „ „ p. 194, 11 — 195, 3 et „ „ „ „ XXXVIII 4. 5.

deinde ea quoque, quae in schol. Germ. p. 197, 1 — 9 de cursu lunae, p. 199, 15 — 200, 12 de Diana vel Luna leguntur, eisdem verbis in Isidori Originibus III 56 et VIII 11, 56 recurrunt, nisi quod scholia Germ. ampliora habent. porro cur sidera quaedam errantia adpellentur, et in scholiis Sangermanensibus p. 227, 1 — 10 et ab Isidoro de nat. rer. XXIII 3 eodem modo explicatur; verba sane non prorsus eadem sunt, neque tamen maior diversitas, quam quae in ipsius Isidori verbis, ubi eundem fontem bis exscribit, observari possit. conferas velim, ut talia tantum proponam capita, quae et in scholiis Sangermanensibus recurrant, Isidori Orig. III 52, 1 (= schol. G. p. 197, 9 s.) et de nat. rer. XVIII 1, Orig. III 48 (= schol. G. p. 194, 4) et de nat. rer. XV 2, Origin. III 57 (= schol. G. p. 194, 7) et de nat. rer. XX 1, Origin. III 56 (= schol. G. p. 197, 1) et de nat. rer. XIX 1. denique planetarum virtutes, quas scholiasta Hygini capiti addidit p. 228, 15 — 230, 3, easdem ab Isidoro de nat. rer. III 4 enumeratas invenies. hic igitur consensus [2])

---

[1]) Cf. Breysigium praef. p. XXVII.

[2]) Sero intellexi etiam ad fabulas amplificandas ignotum hunc auctorem adhibitum esse; nam ea verba quae de lyrae inventione solus Sangermanensis exhibet p. 150, 19 *regrediente igitur Nilo — lyram fecit* quaeque non solum in Prolegomenis p. 24 Eratostheni perperam tribui sed etiam inter Catasterismorum fragmenta p. 139 a 1—10 recepi, eadem in Isidori Originibus III 21, 8 (ubi verba et *Orpheo tradidit qui eius rei maximum studiosus fuit* ab Isidoro ex Hygini astrologia II 7 addita sunt) leguntur; haec igitur ex Eratosthenis reliquiis eximenda sunt. similiter verba p. 149, 14 *Quas Graeci a pluralitate Pliadas, Latini ab eo, quod vere exoriantur, Vergilias vocant* cum Isidor. Orig. III 70, 13, deinde p. 153, 16 (Catast. fragm. p. 145 a 9) *Aquarius, quem nos propter imbres mensis ipsius sic nominamus* cum Isid. Orig. III 70, 32, p. 155, 19 *Capricornus sane, qui cum cauda piscis pingitur, quod huius mensis in quo sol per eum currit*

causa fuit, cur alii scholiastam Isidorum exscripsisse, alii Isidorum scholiis in Germanicum usum esse, alii denique utrumque accidisse putarent; nam primum Isidorum veterem aliquam scholiorum editionem compilasse, postea vero ex Isidoro nonnulla in scholia Sangermanensia interpolata esse. quarum opinionum perversitatem detexit primusque rectam viam ingressus est Reifferscheidius Suetoni rel. p. 440 s.; qui cum modo scholiastam modo Isidorum uberiora exhibere intellexisset, utrumque ex eodem fonte haurire rectissime statuit. quod vero scholia Sangermanensia plerumque propius ad Origines quam ad libellum de natura rerum conscriptum accedunt, id nullo negotio ita explicatur, ut Isidorum in Originibus quam accuratissime auctorem suum exscripsisse, in libro de rerum natura liberius eo usum esse atque sermonis elegantiae plus tribuisse statuamus. ceterum veri valde simile est praeter ea, quae scholiis cum Isidoro communia sunt, alia quoque ad ignotum illum auctorem redire, veluti et ea, quae cum fragmento Censorino tributo congruunt, et quod involutio sphaerae inscribitur caput, omnia denique quae non aut ex Plinio aut ex Hygino aut ex Fulgentio descripta sint. communem autem illum utriusque auctorem Suetonium esse suspicatur Reifferscheidius; alii oblocuti sunt. ego hanc controversiam difficillimam sane nec paucis verbis peragendam eo magis in medio relinquere possum, quo alienior est ab huius disputationis consilio; sufficiunt enim ea, quae attuli, ut de ratione, quae inter scholia Sangermanensia et Strozziana intercedit, recte iudicare possimus. sed cum in Breysigii editione scholia Sangermanensia discerpta et Strozzianis interposita sint, ut non sine difficultate imaginem codicis tibi restituere possis, e re visum est hic singulas partes eo ordine, quo in libro Sangermanensi leguntur, enumerare adnotatis singulis cum quibus congruunt aut unde petitae sunt, scriptorum locis:

I p. 105, 7 — 107, 13 = (Censorini) fragmenti cap. II p. 76 Jahn. (v. Reifferscheid Sueton. p. 195.)
(de caeli positione)

II p. 221 — 224, 4 = (Censorini) fragmenti cap. III p. 79 Jahn. habet cod. Bruxellensis.
(de stellis fixis et errantibus)

III p. 224, 5 — 226, 22 habet codex Bruxellensis.
(de sphaerae involutione)

IV p. 112 — p. 182 fabulae ex Catasterismorum Epitome versae.

V p. 227, 1 — 10 similia habet Isidorus d. rer. nat. XXIII 3 (v. Reifferscheid l. c. p. 216).
(de planetis)

VI p. 227, 11 — 228, 8 = Plin. II 32—39. 64. Hygin. astrol. II 42.
(planetarum nomina)

VII p. 228, 8 — 14.

---

ultima sint pluviosa cum Isidor. Orig. III 70, 31, p. 162, 20 *Orion, qui et iugula* — p. 163, 14 *tempestatem innuit imminere* cum Isidor. Orig. III 70, 10 et 11, p. 167, 12 *Sirius stella* — 16 *caniculares dicuntur* cum Isidor. Orig. III 70, 14 et 15, p. 175, 13 *Geon, qui et Nilus* cum Isidor. Orig. XIII 21, 7 congruunt. haec igitur omnia ex eodem auctore fluxisse perspicitur, quem Isidorus et ipse exscripsit.

VIII p. 228, 15 — 230, 3 = Hygin. astr. II 42. Isidor. de rer. nat. III 4. Fulgent. I 15[3]) (cf. Reifferscheid l. c. p. 162).
(planetarum fabulae)

IX p. 230, 4 — 231, 12.
(de lacteo et zodiaco)

X p. 231, 12 — 232, 8 = Plin. II 66, 67. Isidor. origin. III 32, 1 (= III, 36 = XIII 5, 5. de rer. nat. XII 3 cf. Reifferscheid l. c. p. 202).
(de planetarum cursu)

XI p. 197, 1—9 = Isidor. origin. III 56 (de rer. nat. XIX 1. cf. Reifferscheid l. l. p. 211).
(de lunae cursu)

XII p. 197, 9 — 198, 2 = Isidor. origin. III 52, 1 (de rer. nat. XVIII 1. Reifferscheid l. c. p. 208).
(de lunae lumine)

XIII p. 199, 15 — 200, 12 = Isidor. origin. VIII 11, 56.
(de Diana sive luna)

XIV p. 201, 13 — 202, 7 = Isidor. de rer. nat. XXXVIII 2. 3 (v. Reifferscheid l. c. p. 235).
(de luna tempestatis vate)

XV p. 193, 5 — 194, 2 (v. Reifferscheid l. c. p. 207).[4])
(de Sole)

XVI p. 194, 3 — 7 = Isidor. origin. III 48 (de rer. nat. XV 2 Reifferscheid l. c. p. 205).
(de Solis igne)

XVII p. 194, 7 — 10 = Isidor. origin. III 57 (de rer. nat. XX 1 Reifferscheid l. c. p. 211).
(de eclipsi)

XVIII p. 194, 11 — 195, 3 = Isidor. de rer. nat. XXXVIII 4. 5 (v. Reifferscheid l. c. p. 236).
(de Sole tempestatis vate)

XIX p. 195, 4 — 196, 8 = Fulgentius I 11.
(de Apolline)

Tandem aliquando venio ad scholia Strozziana, quae a me supra ad textum non minus Basileensium quam Sangermanensium emendandum adhibita esse fortasse aliquis miratus est. exhibet igitur tertiam hanc scholiorum classem liber Strozzianus saec. XIV exaratus, qui nunc in bibliotheca Laurentiana adservatur; eadem, quamquam, ut Breysigius monet, paullo corruptiora, inc odice Urbinate saec. XV exarato leguntur. hac autem forma scholia in Germanicum primum in lucem prodierunt neque alia ante Eyssenhardtium et Breysigium nota erant. ipse Breysigius, quid de Strozzianorum origine sentiat, nescio, cum in praefatione p. XXVII ea Basileensibus non dissimilia esse dicat, in editione contra simul cum Sangermanensibus proponat. sunt autem haec scholia, ut uno verbo transigam, ex Basileensibus et Sanger-

---

[3]) nimirum verba p. 228, 19 *qui cum paternos currus adfectans sibi atque mundo concremationis detrimenta conflaverit.* vidit hoc Breysigius ad Strozziana p. 185, 5.

[4]) Iniuria Reifferscheidius cum his scholiorum verbis Isidorum Orig. III 49, de rer. nat. XVII congruere contendit; nam nihil commune habent praeter prima verba *solem per se ipsum moveri, non cum mundo verti,* quae tamen Isidorus ut ipse testatur cum reliquo toto capite ex Hygini astrologia IIII 13 descripsit. scholiastam autem alio auctore uti adparet.

manensibus conflata, ita ut non recte pro singulari classe habeantur. quae res tam manifesta est, ut satis mirari nequeam hoc non dudum intellectum esse, sed mira quadam constantia Basileensibus Strozziana opponi, cum Sangermanensia opponenda sint.

Primum igitur quae in Strozzianis de sphaerae figuratione siderumque cursu exponuntur, maximam partem ex Sangermanensibus ad verbum descripta sunt, sed singulae disputationis partes discerptae et dissolutae in alium ordinem digestae sunt. accedit his de Arati proeoemio disputatio, a qua Basileensia[5]) incipiunt. praeterea Martiani Capellae VIII 838—846, Plinii libri XVIII capita nonnulla, Fulgentii II 19, Isidori de rer. nat. XXXVIII, 1 interpolata sunt. denique nonnulla parvi ambitus enuntiata aut ex ignoto mihi auctore aut ab ipso compilatore, non indocto profecto, ut mox intellegemus, neque insulso viro, addita sunt. quae omnia in Strozziano hoc ordine se excipiunt:

I p. 105, 7 — 107, 13 ex Sangermanensibus I (v. supra).
(de caeli positione)

II p. 107, 13 — 109, 10 „ „ III p. 224, 5 — 226, 22.
(de sphaerae involutione)

III p. 109, 12 — 111, 13 ex Basileensibus p. 55, 1 — 58, 3.
(de Arati proeoemio)

IV p. 111, 15 — 112, 3 videntur Germanici versus 19 — 47 reddi, additis tamen nonnullis (p. 111, 16 — 18) aut ex Sangermanensibus p. 231, 14 — 16 aut ex Hygini astrol. I 3 aut denique ex Isidor. de nat. rer. XII 6.
(de polis)

V p. 112, 4 — 182, 8 fabulae, de quibus mox accuratius dicturus sum.

VI p. 182, 12 — 183, 5 ex Sangermanensibus V p. 227, 1—10.
(de planetis)

VII p. 183, 6 — 184, 18 ex Sangermanensibus VI p. 227, 11 — 228, 8 VII p. 228, 8 — 228, 14 II a p. 221, 14 — 222, 7 conflata.[6])
(de planetarum cursu et nominibus)

VIII p. 184, 19 — 25 ex Sangermanensibus II c p. 223, 19 — 224, 4.
(de stellarum domibus)

IX p. 185, 1 — 186, 10 ex Sangermanensibus VIII p. 228, 15 — 230, 3 et Basileensibus p. 102, 11 — 103, 15.
(planetarum fabulae)

X p. 186, 11 — 23 ex Plinio II 96 et alio auctore mihi ignoto.[7])
(de cometis)

XI p. 186, 25 — 187, 21 ex Sangermanensibus IX a p. 230, 4 — 12 et Basileensibus p. 104, 1 — 8.
(de lacteo circulo)

---

[5]) Cf. Prolegomena p. 20 adn. 39 et Breysigium in Programm. Posuan. 1865.

[6]) *Stilbonis* nomen p. 184, 5 aut in G casu intercidit aut ex Basileensibus p. 103, 13 additum est. — p. 183, 16 pro *veniens* scribendum est *splendens*. Breysigius *nitens* proposuit.

[7]) Cf. Isidor. de rer. nat. XXVI 13, Lucani comment. Bern. I 662. fortasse in G casu tantum interciderunt.

XII p. 187, 23 — 188, 20 ex Sangermanensibus IX b p. 230, 13 — 231, 19 interpositis nonnullis ex alio fonte.[8])
(de circulo signifero)

XIII p. 188, 22 — 193, 4 ex Martiano Capella VIII 838 — 846.

XIV p. 193, 5 — 196, 8 ex Sangermanensibus XV — XIX (vide supra).
(de sole)

XV p. 197, 1 — 198, 2 ex Sangermanensibus XII.
(de lunae lumine)

XVI p. 198, 3 — 199, 12 ex Sangermanensibus II b p. 222, 7 — 223, 19.

XVII p. 199, 13 — 200, 12 ex Sangermanensibus XIII.
(de Diana sive luna)

XVIII p. 200, 13 — 201, 13 ex Fulgentio II 19.
(de luna vel Proserpina)

XIX p. 201, 13 — 202, 8 ex Sangermanensibus XIV.
(de luna tempestatis vate)

XX p. 203, 1 — 220, 4 ex Plinii libro XVIII; eundem librum (XVIII 235) etiam p. 132, 14 de stella regia exscribit.

XXI p. 220, 5 — 220, 17 ex Isidoro de rer. nat. XXXVIII 1.

Nemo opinor qui haec inter se paullo accuratius contulerit, tam hebeti aut tam pertinaci ingenio erit, quin libentissime concedat, scholia Strozziana ex Sangermanensibus compilata, non illa ex his excerpta esse. itaque e plurimis, quae ultro se offerunt, huius rei argumentis duo tantum adponam, ut omnem scrupulum legentibus evellam. in praecedentibus nonnulla etiam in his scholiorum partibus ex Basileensibus addita esse indicavi; res sane e certissimis est, cum vel lacunosa ac sensu fere cassa descripta sint; velut in Basileensibus p. 103, 15 legimus: *Stilbo vocatur hac ex causa.* causa vero nominis non adfertur, sed librarii socordia omissa est. nihilo minus Strozzianorum auctor haec verba descripsit atque capiti, quod ipse ex Sangermanensibus, illa ex Hygini astrologia habent, interposuit p. 186, 8. haec igitur Basileensium frustula quomodo factum est, ut in Sangermanensibus nusquam occurrant? aut quo indicio ille, quem Sangermanensia ex Strozzianis excerpsisse sibi fingunt, has scholiorum Basileensium partes a ceteris discernere poterat? deinde scholiorum Sangermanensium caput II, quod vocavi, quo de stellis fixis et errantibus agitur (p. 222, 1 — 224, 4), in Strozzianis in tres partes divisum (VII. VIII. XVI), hae partes diversis nec semper bene congruentibus disputationibus interiectae sunt. atque has particulas principio unam concinnamque disputationem effecisse ac recto genuinoque ordine in Sangermanensi legi cum res ipsa, tum codicis Bruxellensis ac fragmenti Censorino tributi comparatio docet. iam fac Sangermanensia ex Strozziano descripta esse: prorsus divino acumine opus erat, ut tam laceri Hippolyti membra et indagarentur et apte componerentur, ut

---

[8]) Aristotelis mentio p. 188, 2 neque quo pertineat neque unde petita sit perspicio. lacteum circulum Aristoteles nisi in Meteorologicis I 8 nunquam commemorat; neque in illo capite quicquam de circuli lactei obliquitate dicit. itaque ad deperdita Aristotelis scripta haec referenda sunt

illud mittam prooemium disputationis (p. 221, 1—13) ne extare quidem in Strozzianis.[9]) tenemus igitur non Sangermanensia ex Strozzianis, sed Strozziana ex Sangermanensibus fluxisse.

Venio ad fabulas, quae in scholiis Strozzianis leguntur; ac primum quidem vix est, quod moneam, omnia quae in his scholiis extant Nigidii fragmenta ex Basileensibus descripta esse. in ceteris vero fabulis enarrandis is, qui haec scholia compilavit, ita egit, ut Basileensium et Sangermanensium narrationes in unum conflaret; cuius rei pauca exempla proponam ita quidem, ut, quae ex B fluxerunt verba, inclinatis, quae ex G, solitis litteris excudenda curem.

IV Engonasin p. 118, 1 s. (cf. Catast. fragm. p. 62 s.)

Draco immensae magnitudinis hortorum custos insomnisque fuisse dicitur, a Iunone ad custodiendum aurea mala esse[10]) constitutus. Hercules, *cum ad mala aurea profectus esset, ut refert Panuasis Heraclea,* fertur peremisse et idcirco inter astra ab Iove[11]) *hunc laborem memoriae dignum honoravit et utrosque sideribus intulit ita ut in certamine fuere eorum habitus, serpentis caput iam defectum.* qui ideo in genu stans manibus sursum extensis, dextro pede contra draconem porrecto pingitur, ut certaminis labor significetur. ideo pellem leonis *in sinistra manu* habere fingitur, ut insigne virtutis[12]) monstretur, quia leonem inermis interfecisse narratur.[13])

XIII Agitator p. 133, 8 s. (cf. Catast. fragm. p. 98.)

qui primus currum[14]) inter homines docuit equos albos iungere[15]) et Solis quadrigae similem facere primumque *Panathenaea constituisse,* arcem templumque aedificasse dicitur. *quem Iovis miratus astris receptum memoriae tradidit.*

---

[9]) Addere poteram nonnunquam ea, quae in Sangermanensibus recte distincta leguntur, in Strozzianis perperam divelli, perperam coniungi; velut Sangermanensia p. 228, 5 *cuius (Mercurii) absides* (debebat aut *absis* aut *absida,* sed error ex Plinio II 64 natus) *altissima in Capricorno est, novem diebus ociore ambitu, modo ante solis exortum modo post occasum, nunquam ab eo remotior viginti duabus partibus. immorantur igitur in coitu solis et non comparent in caelo Saturni sidus et Martis cum plurimum diebus CLXX e. q. s.* contra Strozzianus p. 184, 8. *cuius absides ultima* (debebat *altissima;* ceterum idem error in Sangallensibus codicibus scholiorum Sangermanensium obvius) *in Capricorno est novem diebus ociore ambitu, modo ante solis exortus modo post occasus, nunquam ab eo remotior. igitur viginti duabus partibus morantur in coitu solis et non comparent caelo. Saturni sidus et Martis cum plurimum diebus centum septuagintae e. q. s.* nonne hoc prorsus ineptum est? quid Breysigius? ante *remotior* corruptelae signo posito et in adnotatione Plinii capite, unde principio haec descripta sunt, indicato cetera intacta reliquit tamquam intellegeret.

[10]) *esse* scripsi. *esset* S. del. β.

[11]) *ab Iove* ex G. non debebat Breysigius *Iovis* scribere, nam compilator in constructionem peccare, quam tradita verba mutare mavult.

[12]) *insigne virtutis* U, quod verum esse ex G perspicitur. *insignis virtute* S.

[13]) *inermis* ex G sub Leone p. 131, 22 (Catast. fragm. XII p. 97 a 4).

[14]) *currum* ex Fulgentio II 14 v. infra.

[15]) *iungere* U. *fungere* S.

XXXIX Sacrarium p. 177, 2. (cf. Catast. fragm. p. 182 s.)

Sacrarium namque est signum navigantibus percontrarium, quod sequitur Scorpionis caudam. quod quidam inter astra conlocatum dicunt, quod in eo dii *primum* mutuo *coniurationem fecerunt, cum Iovis contra Saturnum fecit. quod memoriae non solum astris inlatum, sed etiam hominibus hoc habere instituerunt, quod et in agonibus et in ludis quinquennalibus coronae habentur ut foederis testem adhiberent. itemque vates per quos per ignem futura responderent et his ymposis domibus consecraverunt* et idem Iupiter igneum sibi velamen, ne eius fulminum potentia deprehenderetur, adhibuit.

XLI Corvus p. 180, 3 (cf. Catast. fragm. p. 188 s.)

Qui corvus ideo inter astra conlocatus dicitur, eo quod fuerit in tutela Apollinis et ab eo missus ad fontem *quendam, quod fuit castum, antequam vinum ostenderetur,* ut diis ad libandum aquam deferret. *qui cum vidisset arbores grossos ficus habentes, volans consedit in eis, donec maturae fierent,* et aquam deferre distulerit.[16]) *post paucos autem dies peracto sacrificio et ille ficus comedit. cum sensisset se* diis peccasse, denuo ad fontem, ut aquam hauriret, redierit et ab ydra exterritus vas vacuum reportaverit[17]) *dicens excidisse aquam, quae fuerit in fonte. recognitus Apollo*[18]) sibi corvum peccasse,[19]) inhibitum ei ab Apolline fuit, ut aquam eo tempore *ad paucum tempus* non bibat — *ut Aristoteles dicit in eo libro, qui de bestiis scribitur, item Isidorus in naturalibus id est physicis memoriae tradidit — ut ipse peccatis poenas daret. quem postea astris intulit.*

Denique semel vel eadem fabula bis narratur primum ex Basileensibus, deinde ex Sangermanensibus exscripta. causa est quod in Basileensibus haec fabula tam corrupta ac ni fallor vel interpolationibus deformata legitur, ut profecto Strozzianorum auctori condonandum sit, quod non intellexit eandem esse, quam Sangermanensia haberent, praesertim cum ille Catasterismos legisse non videatur. est ea de

Pisce magno XXXVIII p. 176, 5 (cf. Catast. fragm. p. 180 s.):

Piscis ergo magnus, cuius nepotes dicuntur pisces, qui in zodiaco circulo constituti sunt, dicitur inter astra conlocatus, eo quod decidente[20]) in boecinice[21]) stagno quaedam[22]) *facetis*[23]) filia Veneris *et in piscem*[24]) *sit transfigurata, quam*

[16]) *distulerit* et mox *redierit* S ex G; Breysigius non debebat in *distulit — rediit* corrigere.

[17]) *reportaverit* scripsi ex G. *reportaret* S. *reportavit* β.

[18]) *recognitus Apollo*: *recognita* (scribe *re cognita*) *Apollo* B. scholiorum Strozzianorum auctor hoc mutavit. interpolationem perfecit U *cognoscens Apollo.* Breysigius *re cognita ab Apolline.*

[19]) Verba *sibi corvum peccasse* cum neque in B neque in G extent, ab ipso Strozzianorum auctore addita esse videntur.

[20]) *decidente: decidentem* G.

[21]) *boecinice: boecmice* G.

[22]) *quaedam* S cum Sangallensibus: *quadam* G. *quondam* β.


[23]) *facetis*: *faceus* BP.

[24]) Verba *in piscem* a Strozzianorum auctore addita esse dixi ad Catasterismorum fragm. p. 180.

Syri deam nominarunt. quidam autem dicunt, quod de stagno filiam Veneris salvaverit, *unde usque hodie Syri pisces argenteos in templo sacraverunt.* est autem signum in parte australi, quod piscibus orientibus oritur. *quem dicunt Aquarii urnae effusionem bibere.*

Similiter qui in Strozzianis leguntur stellarum catalogi, modo ex Basileensibus modo ex Sangermanensibus modo ex utrisque hausti sunt. neque tamen reticendum est nonnulla in eis inesse, quae neque ex Basileensibus neque ex Sangermanensibus deprompta esse possint, contra mirum in modum cum Epitome consentiant v. c. p. 138; 3 s. (vide supra p. 115, 26 — 33), p. 140, 11 *sub zona* (v. s. p. 118, 21), p. 148, 7 *in capite I* (v. s. p. 132, 1), alia. haec unde petita sint, prorsus me nescire fateor.

Neque tamen is, qui scholia Strozziana composuit, ipso Basileensi aut Sangermanensi usus est, sed potius utriusque archetypo. nam aliquando non solum rectiora, sed etiam integriora et uberiora praebet, quam Basileensis; velut p. 86, 21 (adscribo paginas huius libri) verba *unus zonam,* p. 88, 3 *in eadem manu I* omittunt BP, habet S. deinde veram lectionem S, corruptam BP habent, ut ex permultis exemplis pauca elegam, hisce locis: p. 72, 9 *ob eius loquacitatem* S. *ab eius loquacitate* B, *et ab ei loquacitate* P, p. 88, 22 *contrivit* S. *contribulavit* BP, p. 90, 18 *inundata* S. *innudata* BP, p. 146, 11 *aquae* S. *quae* B, *qua* P, p. 148, 9 *in Ida utrosque nutritos* S. *in idaustrosque nutriteros* BP, p. 158, 10 *Neptunus* S. *niltus* BP, p. 158, 13 *Atlantidis* S. *plantides* BP. neque magis Strozzianorum auctori liber Sangermanensis praesto fuisse potest; nam desunt in illo inde a Lyra stellarum catalogi, qui in Strozziano leguntur et a Basileensi et ab Epitome diversi, ita ut eos ex Sangermanensium archetypo descriptos esse non sine probabilitate conicere mihi videar. quare in Fragmentis recensendis Strozziano ad hunc Sangermanensis defectum explendum uti non dubitavi. itaque si libri Sangermanensis archetypum γ, Basileensis β, Strozziani σ vocamus, qua ratione codices inter se cohaereant, ex hac tabula adparet:



quae cum ita sint, cogitari quidem potest ut posteriorum siderum catalogos, ita alia quoque, quae in γ extabant, capita in G omissa, in S servata esse; velut ea, quae ex Fulgentio II 19 et Isidoro de rer. nat. XXXVIII 1 descripta in S leguntur (cf. supra p. 206 XVIII et XXI), perbene in γ extitisse possunt, praesertim cum et alia multa scholiis Sangermanensibus cum Isidoro communia esse utpote ex eodem

fonte derivata et in eisdem aliud quoque caput, illius quasi gemellum, ex Fulgentio haustum legi iam intellexerimus. at cum Fulgentius et Isidorus per totum medium aevum legi nunquam desierint, ille qui scholia Strozziana condidit eos non secus ipse legere atque compilare potuit, quam Plinium et Martianum Capellam. itaque hac de re certi nihil adfirmare ausim.

Sed praeter eas fabulas, quas ex Basileensibus et Sangermanensibus conflatas esse supra evici, aliae quoque in Strozzianis occurrunt, quae in illorum librorum neutro leguntur. e quibus ea, quae est de Erichthonii origine p. 133, 1 *Vulcanus cum Iovi* — 8 *qui primus currum,* aperte ex Fulgentio II 14 ad verbum descripta est. hanc vero fabulam nondum in γ extitisse, sed a Strozzianorum auctore additam esse quovis pignore spondeo; nam eius ingenium et mores refert diversorum scriptorum verba ita pertexere, ut huius fabulae ultima verba cum Sangermanensium narratione conferruminata sunt: *qui primus currum* inter homines docuit equis albis iungere (cf. supra p. 207). e ceteris sex potissimum in censum veniunt narrationes, quae sunt de Ariete p. 142, 8, de Arione p. 165, 1, de Icario p. 168, 13, de Danao p. 172, 6, de Phaethonte p. 174, 6, de Philyra p. 178, 2. haec autem in Basileensium aut Sangermanensium archetypo extitisse nullo modo possunt. nam primum sermo in eis est multo purior, quam in eis scholiorum partibus, quae ex graeco versae sunt, esse solet; neque Nigidianae esse possunt hae narrationes, cum praeter unam ad duodecim signa non spectent, una autem illa, quae est de Ariete, a Nigidii narratione in BP servata discrepet. sed omnino neque ex scholiis ad Germanicum aut Aratum conscriptis neque ex libro in siderum fabulis enarrandis versanti fluxisse possunt; nam Arionis nomen in Orionem[25]) abiit, narratur autem historia eius non, ut par erat, sub delphino, sed sub Orione; id quod nullo modo explicari posset, si compilator astrologico quodam libro usus esset, potest, si statuis eum compendium mythologicum exscribere, in quo Arionis nomen ita corruptum erat. neque quale compendium fuerit, diu latere potest: haustae sunt hae narratiunculae ex Hygini fabularum libro.[26]) quod verum esse ut intellegas, has sex tibi fabulas et quales in Strozziano leguntur et quales ex Frisingensi edidit Micyllus coniunctim adscribam. atque in prima fabula, quae est de Phrixo, compilator more suo Hygini verbis nonnulla ex scholiis cum Basileensibus tum Sangermanensibus admiscuit, quae uncis includo:

---

[25]) Quis non meminerit hexametri, qui in Cyriaci itinerarii apographo, quod ab Hartmano Schedelio confectum in bibliotheca Monacensi a clarissimo viro Ioanne Baptista de Rossi repertum est, imagini pueri delphino incubantis adscriptus est: *pisce super curvo vectus cantabat Orion.* Schedelii errorem esse putat Jahnius (Aus der Alterthumswissenschaft p. 351); at quis negabit Schedelium veterem aliquam scholiorum in Germanicum editionem aut ipsum Cyriacum scholiorum Strozzianorum librum aliquem, immo ipsum fortasse Strozzianum, cognitum habere potuisse?

[26]) De prima secunda quinta fabula hoc etiam Breysigius intellexit.

Cod. Strozzianus.

I p. 142, 8—143, 12.

[*Arietem namque, ut Hesiodus et Pherecydes dicunt, inter astra conlocatum propter Phrixum et Hellen,*] *Athamantis et Nebulae filios. qui cum novercam suam occidere vellent, insania a Libero dicuntur adfecti.*[27]) *qui dum in silva errarent, mater eis arietem aurata pelle fertur adduxisse. qui cum navigare vellent, in mare proiecti sunt, quod pelagus* [*ab Helles nomine*] *Hellespontus vocatur.* [*Hellenque*[28]) *aiunt a Neptuno salvatam. et ex ea puerum Paeonem genuit.*] *Phrixum autem sedens*[29]) [*praefatum arietem*[30])] *Colchos advectum ad Aeetam regem ibique arietem Marti inmolasse* [*eique suam auream pellem concessisse, antequam inter astra processisset,*] *quam draco custodivit.*

genitum autem hunc arietem dicunt ex Neptuno et Theophane[31]) *Busaltidis filia. quam cum adamasset, in insulam Crumissam transduxisse inque ovem convertisse. cum qua in arietem mutatus concubuit, ex qua aries chrysomallus natus est.*

Cod. Frisingensis.

fab. 1.

Athamas Aeoli filius habuit ex Nebula uxore filium Phrixum et filiam Hellen ....

fab. 2. *rex facinore cognito uxorem suam Ino et filium eius Melicerten Phrixo dedidit necandos.*

fab. 3. *Phrixus et Hellen insania a Libero obiecta cum in silva errarent, Nebula mater eo dicitur venisse et arietem inauratum adduxisse Neptuni et Theophanes filium eumque natos suos ascendere iussit et Colchos ad regem Aeetam Solis filium transire ibique arietem Marti immolare. ita dicitur esse factum. quo cum ascendissent et aries eos in pelagus detulisset, Helle de ariete decidit, ex quo Hellespontum pelagus est adpellatum. Phrixum autem Colchos detulit. ibi matris praeceptis arietem immolavit pellemque eius inauratam in templo Martis posuit. quam servante dracone c. q. s.*

fab. 188. *Theophane Bysaltidis filia formosissima. hanc cum plures proci peterent a patre, Neptunus sublatam transtulit in insulam Crumissam.*[32]) *quod cum proci eam scissent ibi morari, nave comparata Crumissam contendere coeperunt. Neptunus ut eos deciperet, Theophanen in ovem commutavit formosissimam, ipse autem in arietem c. q. s. . . . ipse autem ut erat aries*

---

[27]) *insania a Libero adfecti* scripsi conl. Frisingensi: *insania Libero effecti* S. *insani a Libero effecti* β.

[28]) *Hellenque* scripsi. *Hellesque* S. *Hellen namque* β.

[29]) *sedens* S. *insidens* U. *sedentem* Breysigius, ut solet constructionem verborum vel contra librorum auctoritatem ipsiusque scriptoris voluntatem restituere. ceterum unde hoc *sedens* fluxerit nescio.

[30]) *praefatum arietem* S ex B. *praeparato arieti* U manifesta interpolatione. *in praefato ariete* β.

[31]) *Theophane: Theuphanen* S.

[32]) *Crumissam* ex *κριοῦ νῆσος* corruptum esse viderunt Munckerus et Bursianus in Emendationibus Hyginianis (Jenae 1874).

Cod. Strozzianus.

II p. 165, 1 — 166, 4.

Quidam autem dicunt esse Orionem[33]) *Methymnaeum. et cum esset arte citharae potens, rex Corinthorum, Pyrantus nomine, eum dilexit. qui cum a rege petiisset, ut civitates arte sua inlustraret, et magnum patrimonium acquisisset, consenserunt famuli cum nautis, ut eum interficerent.*

quem cum vellent interficere, petit ab eis, ut ante decantaret. cum autem citharae sonus cum voce eius audiretur, delphini circa navem venerunt. ille super unum ex his se praecipitavit, qui eum sublatum Corintho ad regem Pyrantum detulit. delphinus subductis per aestum aquis exanimatus est.

qui cum casus suos Pyranto narrasset, iussit rex delphinum sepeliri et ei monumentum fieri. post aliquantum temporis navis, qua Orion vectus fuerat, Corinthum delata est. quos cum adduci ad se imperasset rex et de Orione inquireret, dixerunt eum obisse. quibus ille 'crastino, inquit, die ad delphini monumentum iurabitis' eosque custodiri mandavit, atque Orionem ita ornatum, quomodo se praecipitaverat, in monumento

Cod. Frisingensis.

cum Theophane concubuit, ex quo natus est aries chrysomallus. . . . .

fab. 194.

Arion Methymnaeus cum esset arte citharae potens, rex Pyranthus[34]) *Corinthius eum dilexit; qui cum a rege petiisset per civitatem artem suam inlustrare et magnum patrimonium acquisisset, consenserunt famuli cum nautis, ut eum interficerent.*

cui Apollo in quietem venit[35]) *eique dixit, ut ornatu suo et corona decantaret et eis se traderet, qui ei praesidio venissent.*

quem cum famuli et nautae vellent interficere, petit ab eis ut ante decantaret. cum autem citharae sonus et vox eius audiretur, delphini circa navem venerunt. quibus ille visis se praecipitavit. qui eum sublatum attulerunt Corinthum ad regem Pyranthum. qui cum ad terram exisset, cupidus viae delphinum in mare non propulit, qui ibi exanimatus est. qui cum casus suos Pyrantho narrasset, iussit Pyranthus delphinum sepeliri et ei monimentum fieri. post paucum tempus nuntiatur Pyrantho navem Corinthum delatam tempestate, in qua Arion vectatus fuerat. quos cum perduci ad se imperasset et de Arione inquireret, dixerunt eum obisse et eum sepulturae tradidisse. quibus rex respondit: 'crastino die ad delphini monimentum iurabitis'. ob id factum eos custodiri imperavit atque Arionem iussit ita ornatum, quomodo se praecipitaverat, in monimento delphini mane delitescere. cum autem rex eos adduxisset

---

[33]) Breysigius perperam per totam fabulam in *Arionem* correxit.
[34]) *Pyranthus: Periandrus* Munckerus recte.
[35]) Cf. Serv. ad Eclog. VIII 55.

Cod. Strozzianus.

delphini delitescere. cum autem adducti et per delphini monumentum iurarent Orionem obisse,[36]) *Orion de monumento prodiit. quem illi videntes obmutuerunt ibique regis imperio cruci adfixi sunt. dehinc Iovis miseratione dicitur, quod Orion cum delphino inter sidera*[37]) *positus sit.*

III p. 168, 13 — 169, 2.

Icarus a Libero[40]) *hospitio receptus ei in munere utrem vino plenum contribuit iussitque, ut in reliquas terras propagaret. Icarus dehinc Athenaeus cum in terram Atticam ad pastores devenisset, eis genus hoc suavitatis ostendit. pastores cum immoderatius biberent, ebrii facti conciderunt. qui arbitrantes Icarum sibi malum medicamentum dedisse, eum fustibus interfecerunt. Icarum autem occisum canis, qui cum eo fuerat, Neera nomine ululans Erigonae eius filiae monstravit, ubi pater insepultus iaceret. quae cum venisset,*

(in eis, quae secuntur, librarius non iam Hyginum sed Nigidium i. e. Basileensia sequitur).

IV p. 172, 6 — 173, 4.

Nonnulli dicunt, quod Danaus Beli filius ex pluribus coniugibus quinquaginta filias habuit; frater autem eius Aegyptus totidem filios. Danaum autem et filias eius interficere voluit, ut regnum paternum solus obtineret. eas filiis suis uxores a fratre poposcit. Danaus re cog-

Cod. Frisingensis.

iussissetque eos per delphini manes iurare Arionem obisse, Arion de monimento prodit. quod illi stupentes, qua divinitate servatus esset, obmutuerunt. quos rex iussit ad delphini monimentum crucifigi.

Apollo autem propter artem citharae Arionem et delphinum in astris posuit.[38])

fab. 130.[39])

Cum Liber pater ad homines esset profectus, ut suorum fructuum suavitatem atque iucunditatem ostenderet, ad Icarium et Erigonam in hospitium liberale devenit, eis utrem plenum vini muneri dedit iussitque, ut in reliquas terras propagarent. Icarius plaustro onerato cum Erigone filia et cane Mera in terram Atticam ad pastores devenit et genus suavitatis ostendit. pastores cum immoderatius biberent, ebrii facti conciderunt. qui arbitrantes Icarium sibi malum medicamentum dedisse, fustibus eum interfecerunt. Icarium autem occisum canis ululans Mera Erigonae eius filiae monstravit, ubi pater insepultus iaceret. quo cum venisset, super corpus parentis in arbore suspendio se necavit. . . . .

fab. 168.

Danaus Beli filius ex pluribus coniugibus quinquaginta filias habuit; totidemque filios frater Aegyptus, qui Danaum fratrem et filias eius interficere voluit, ut regnum paternum solus obtineret. filiis uxores a fratre poposcit. Danaus re cognita Minerva adiutrice ex

---

[36]) *obisse* U. *abisse* S.

[37]) *sidera* S. *astra* U.

[38]) Haec verba procul dubio causa fuerunt, cur in eo, quod in scholiis Strozzianis exscriptum est, Hygini exemplo Arionis nomen in Orionem mutaretur, cuius historia in Hygini fabulis continuo sequitur.

[39]) Cf. Catalogorum fragmenta I B b p. 40.

[40]) immo *Liber ab Icaro.*

Cod. Strozzianus.

nita malitia[41]) *Minervam poposcit adiutricem. tunc primum dicitur Minerva navim fecisse, quae Argos adpellata sit,*[42]) *cum qua Danaus ex Africa Argos profugit. Aegyptus filios suos ad persequendum fratrem misit.*

qui postquam Argos venerunt, inpugnare patruum coeperunt. Danaus ut vidit se eis obsistere non posse, dedit eis filias suas. quae patris iussu una nocte viros suos interfecerunt. sola Hypermestra Lynceum servavit. ob id fanum illis factum est. ceterae vero dicuntur apud inferos in dolium pertusum[43]) *aquam ingerere.*

V p. 174, 6 — 175, 5.

[Ab Arato] vel Pherecyde Eridanus, qui et Padus, esse putatur . . . . . Hesiodus[44]) *autem dicit inter astra conlocatum propter Phaethonta, Solis et Clymenes filium, qui clam dicitur currum patris ascendisse cumque a terra altius levaretur, prae timore in Eridanum fluvium, qui et Padus, cecidisse, eumque percussum fulmine a Iove. omnia ardere*

Cod. Frisingensis.

Africa Argos profugit. tunc primum dicitur Minerva navem fecisse biproram, in qua Danaus profugeret. at Aegyptus ut resciit Danaum profugisse, mittit filios ad persequendum fratrem et eis praecepit, ut aut Danaum interficerent aut ad se non reverterentur. qui postquam Argos venerunt, oppugnare patruum coeperunt. Danaus ut vidit se eis obsistere non posse, pollicetur eis filias suas uxores, ut pugna absisterent. impetratas sorores patrueles acceperunt uxores; quae patris iussu viros suos interfecerunt. sola Hypermestra Lynceum servavit. ob id caeterae dicuntur apud inferos in dolium pertusum aquam ingerere. Hypermestrae et Lynceo fanum factum est.

fab. 152.

Phaethon, Solis et Clymenes filius, cum clam patris currum conscendisset et altius a terra esset elatus, prae timore decidit in flumen Eridanum. hunc Iupiter cum fulmine percussisset, omnia ardere coeperunt. Iovis ut omne genus mortalium cum causa interficeret, simulavit se id velle extinguere, amnes undique irrigavit omneque genus mortalium interiit praeter

---

[41]) *malitia* nescio quis ad *re cognita* adscripsit; itaque delendum est, utpote neque ab Hygino neque a Strozzianorum auctore profectum. nisi forte *malitia* in Frisingensi intercidit et scribendum est *recognita malitia*.

[42]) *quae Argos* (l. *Argo*) *adpellata sit* corr. ex *quae ex Argos adpellata sit* S teste Breysigio: haec verba desunt apud Hyginum; nisi forte incuria librarii in Frisingensi omissa sunt. de re cf. schol. Apoll. A 4 *ταύτην* (sc. *τὴν Ἀργώ*) *λέγουσι πρώτην ναῦν γεγενῆσθαι. ἄλλοι δὲ λέγουσιν ὅτι Δάναος διωκόμενος ὑπὸ Αἰγύπτου πρῶτος κατεσκεύασεν, ὅθεν καὶ Δαναὶς ἐκλήθη.*

[43]) *in dolium pertusum* U, quod verum esse ex Frisingensi adparet. *in dolio* corr. ex *in dolium* S, ut Breysigius testatur; de *pertusum* nihil ille addit. an prima manus *in dolium pertuso* scripserat? sed utut haec res se habet, adparet in Strozziani archetypo *in dolium pertusum* scriptum fuisse.

[44]) Cf. Eustath. ad Od. *λ* 325 p. 1689, 4 *Ἡσίοδος δέ φησι προμιγῆναι αὐτὴν* (sc. *τὴν Κλυμένην*) *Ἠλίῳ καὶ τεκεῖν Φαέθοντα.* iniuria optimo huic testimonio fidem derogavit Markscheffelius scholiastam diversas narrationes miscere ratus; immo unus scholiasta genuinam Hygini i. e. Hesiodi narrationem servavit, cum ea, quam Frisingensis habet, ut mox intellegemus, misere interpolata sit. Markscheffelium sine ullo iudicio secutus est God. Kinkelius Epic. fragm. p. 167.

Cod. Strozzianus.	Cod. Frisingensis.
coepisse causaque extinguendi universos amnes inmissos esse[45]) *omneque mortalium genus interisse praeter Pyrram et Deucalionem. sorores quoque Phaethontis flentes in arbores populos uersae fuisse.*[46]) *lacrimae quoque earum in electrum duratae dicuntur, Heliadesque adpellatae. ipsas autem nomina habuisse Merope Helie Aegle Lampetie Phoebe Aetherie Dioxippe.*[47]) *Cygnus quoque, rex Liguriae, Phaethonti propinquus, dum defleret, et ille in cygnum conversus. is*[48]) *quoque moriens flebile canit.*	*Pyrrham et Deucalionem. at sorores Phaethontis, quod equos iniussu patris iunxerant in arbores populos commutatae sunt.* fab. 154. *. . sorores autem Phaethontis, dum interitum deflent fratris, in arbores sunt populos versae. harum lachrymae, ut Hesiodus indicat, in electrum sunt duratae, Heliades tamen nominantur. sunt autem Merope, Helie, Aegle, Lampedie, Phoebea, Etherie, Dioxippe. Cygnus autem, rex Liguriae, qui fuit Phaethonti propinquus, dum deflet propinquum, in cygnum conversus est. is quoque moriens flebile canit.*
VI p. 178, 2 — 6. *Centaurus dicitur Saturni et Philyrae filius. qui*[49]) *Saturnus cum Iovem filium quaereret, in Thracia cum Philyra Oceani filia, in equum versus dicitur concubuisse et ex ea Chironem Centaurum natum artis medicinae inventorem, ipsamque in arborem philyram, hoc est tiliam, esse versam.*	fab. 138. *Saturnus Iovem cum quaereret per terras, in Thracia cum Philyra Oceani filia in equum conversus concubuit; quae ex eo peperit Chironem Centaurum, qui artem medicam primus invenisse dicitur. Philyra postquam inusitatam speciem se peperisse vidit, petit ab Iove, ut se in aliquam speciem commutaret; quae in arborem philyram, hoc est tiliam, commutata est.*

Vides concentum in quinque postremis potissimum fabulis tam perfectum esse, ut vel vitia Strozziano cum Frisingensi communia sint; nam in utroque libro in fab. II Corinthi rex *Pyranthus* vocatur pro *Periandro;* nec minus uterque in fab. I nominis monstrum, quod est *Crumissa,* praebet, in quo *κριοῦ νῆσον* latere egregie animadverterunt Munckerus et Bursianus. neque tamen eum, qui scholia Strozziana componeret, ipso libro Frisingensi usum esse facile crediderim; nam ille, si qua Micyllo fides, in fab. II *Arionem* habebat; quod nomen si Strozzianorum auctor in suo Hygini exemplo invenisset, certo non sub Orione, sed sub delphino fabulam posuisset. praeterea nonnunquam Strozzianus alia et, nisi egregie fallor, meliora

---

[45]) *immissos esse* U. *invenisse* S.
[46]) *versae fuisse β: versa fuissent* S.
[47]) *Merophe elie egle Igaclam petie phebe etherie dioxippe* S. corr. Markscheffelius.
[48]) *is* Markscheffelius et Breysigius: *id* S.
[49]) *qui* S. *quia* U.

exhibet quam Frisingensis. velut in fab. II, ubi de Arione sermo est, haec verba *ut civitates arte sua inlustraret*, nisi quod pro *inlustraret* scribendum est *perlustraret*, ceteroquin sana sunt. contra Frisingensis: *per civitatem artem suam inlustrare*; nimirum in archetypo haec legebantur: *ut civitates arte sua* per *inlustraret*. in eadem fabula Strozziani verba: *ille super unum ex his se praecipitavit, qui eum . . . detulit* longe praestant eis, quae Frisingensis habet: *quibus ille visis se praecipitavit. qui eum sublatum attulerunt e. q. s.*; nam quo modo Arionem compluribus delphinis vectum esse cogitari potest? deinde quae in fab. V in Frisingensi leguntur, prorsus inepta sunt; nam postquam narratum est Phaethonte a Iove fulmine percusso omnia ardere coepisse, ita pergitur: *Iovis ut omne genus mortalium cum causa interficeret, simulavit se id velle extinguere, amnes undique irrigavit omneque genus mortalium interiit praeter Pyrrham et Deucalionem.* delirantem loqui credideris; apta ac procul dubio genuina praebent scholia Strozziana: *omnia ardere coepisse causaque extinguendi universos amnes immissos esse omneque mortalium genus interisse praeter Pyrrham et Deucalionem.* itaque non corrupta tantum sunt, quae Frisingensis habet, sed etiam ab inepto ac protervo interpolatore foedissime deformata, qui illud *extinguendi causa* non de igne, sed de genere humano intellexit ceteraque insolenter addidit.

Iam videndum est, num haec interpolationis in Frisingensi vestigia latius pateant. ea, quae de Phaethonte in Strozziano leguntur, perfectam absolutamque narrationem efficiunt, cui ne verbum quidem addi patiaris. at eadem in libro Frisingensi in duo capita 152 et 154 divisa sunt, quorum alterum ab his verbis incipit: *Phaethon, Clymeni Solis filii et Meropes nymphae filius, quam Oceanitidem accepimus, cum indicio patris avum Solem cognovisset, impetratis curribus male usus est; nam cum esset propius terram vectus, vicino igni omnia conflagrarunt et fulmine ictus in flumen Padum cecidit. hic amnis a Graecis Eridanus dicitur, quem Pherecydes primus vocavit. Indi autem, quod calore vicini ignis sanguis in atrum colorem versus est, nigri sunt facti.* vides fere eadem hic repeti, quae iam in fabula 152 narrata sunt; et satis inscienter, cum Phaethon, Meropis nomine re Solis ex Clymene Oceani filia filius, perperam Clymeni Solis filii et Meropes nymphae filius dicatur. neque enim de corruptela cogitandum est, cum scriptor ita pergat: *cum indicio patris avum Solem cognovisset.* luculento exemplo intellegis, quod dudum mihi constat, librum Frisingensem ab homine satis imperito proterve interpolatum esse, qui et totas narratiunculas de suo adderet et nonnunquam ex una, quam in archetypo invenisset, fabula efficeret duas. atque hic quidem facile deprehendi potest: nam quae prioris fabulae verba sunt extrema: *sorores Phaethontis, quod equos iniussu patris iunxerant, in arbores populos commutatae sunt*, ab eisdem alterius genuina particula incipit: *sorores autem Phaethontis dum interitum deflent fratris, in arbores sunt populos versae.* quae vero interposita sunt, non ab Hygino profecta, sed ab interpolatore addita sunt, qui, ni fallor, Ovidii metamorphoseon librum II reddere voluit, pro Aethiopibus Indis suppositis;

eidem autem etiam verba, quae in fine prioris fabulae leguntur: *quod equos iniussu patris iunxerant* tribuenda sunt, cum hoc non Heliadum, sed Horarum munus sit. quod vero in genuina alterius fabulae parte Hesiodus nominatur, id recte quidem fit, sed tenendum est, non hanc unam tantum rem, sed totam historiam ex Hesiodo narrari; id enim non solum ex libro Strozziano, sed etiam ex fabulae 154 titulo, qui est *Phaethon Hesiodi,* rectissimo illo, dummodo ad unam genuinamque narrationem referatur, perspicitur. denique Pherecydis nomen interpolator ex genuina narratione suis ineptiis interposuit, ut ex Strozziani verbis adparet: *ab Arato vel Pherecyde Eridanus, qui et Padus, esse putatur;* quorum ultima ex Hygino fluxisse necesse est, cum in Catasterismis nec de Pado nec de Pherecyde sermo sit; ceterum cave, ne Pherecydem de sidere, quod apud recentiores Eridanus audit, verba fecisse putes; nihil enim ille aliud, ut ex Hygino intellegitur, quam Eridanum Padum esse contendit. quae ubi cognoveris, concedes non recte totam fabulam 154 a Bursiano damnari, falsissime autem a Schmidtio titulum *Phaethon Hesiodi* in *Phaethon, Heliades* mutari.

His perspectis vereor ne etiam quae in fab. 194 de Arionis viso narrantur, ab interpolatore inventa sint; nam et desunt in Strozziano et antecedunt verba: *consenserunt famuli cum nautis, ut eum interficerent,* secuntur fere eadem *quem cum famuli et nautae vellent interficere,* ita ut interpolator simili modo hic egisse videatur atque in Phaethontis fabula. quamquam fortasse erunt, qui Servium ad Eclog. VIII 55 his verbis patrocinari opinentur. denique animadvertendum est in Theophanes historia ineptum illud de procis in lupos versis commentum in Strozziano deesse; sed cautius agendum est, cum Strozzianorum auctorem hanc Hygini narrationem non totam exscripsisse vel ex priore parte eluceat.

Sed non solum totas narrationes Strozzianorum auctor ex Hygini fabulis deprompsit, sed etiam singula verba inde decerpta hic et illic scholiorum Basileensium et Sangermanensium verbis admiscuit. velut p. 154, 1 haec habet S: *Nigidius hydrochoon sive aquarium existimat esse Deucalionem Thessalum, qui maximo cataclysmo fertur relictus cum uxore Pyrrha in monte Aetna, qui est altissimus in Sicilia.* ultima verba in Basileensibus, unde Nigidii narratio sumpta est, non extant; absurda sunt, cum paullo ante Deucalion Thessalus fuisse dictus sit. deprompta autem sunt ex Hygini fabula 152 p. 26, 19 Schmidt.

Speluncae, quam leo Nemeaeus habitasse fertur, nomen sive Amphidymon fuit sive, ut aliis placuit, Amphitreton, in libris manu scriptis fere semper corrumpitur; *Mihidymon* vocatur in BP p. 72, 5, unde in Strozziano p. 131, 11 *Mihdymon* factum est; sed in eodem libro statim adiungitur: *quam quidam Amphyriso dicunt.* atque in Hygini fabula 30 p. 64, 2 (Schmidt.) Frisingensis Micyllo teste habebat: *Amphriso.*

Permire p. 149, 4 narratur Pliadas *Lycurgi filias ex Naxo insula* fuisse; nihil horum in Basileensi, nihil apud Pherecydem, qui primus historiae auctor est. error natus ex Hygini fab. 192 p. 123, 2 s., ubi in Frisingensi haec extabant: *sunt qui existiment ideo has in sideribus, quod fuerint nutrices Liberi patris, quas*

Lycurgus ex insula Naxo ediderat (*eiccerat* Barthius recte). nonne adparet idem mendum in eo, quo Strozzianorum auctor utebatur, Hygini fabularum exemplo extitisse?

Denique quae in Arcadis fabula exponenda Strozzianus plura exhibet, quam Basileensis, deprompta sunt omnia ex Hygini fab. 176; sunt autem haec: *Pelasgi filius* S p. 123, 11, *Pelasgi filium* Hygin. p. 30, 8. *Arcadem . . . . de cuius post nomine Arcadia dicta est* S p. 123, 9 s. *Arcas, qui ex suo nomine terrae nomen indidit* Hygin. p. 30, 9. *temptans Iovem utrum deus esset* S p. 123, 13. *Iovem temptare voluerunt deusne esset* Hygin. p. 30, 10. *eoque loco civitatem constructam, quae Trapezos adpellata est* S p. 124, 2. *eo loco postea Arcas oppidum communivit quod Trapezos nominatur* Hygin. p. 30, 13. ceterum ex his intellegis non excerpta quaedam, sed codicem ipsum fabularum Hyginianarum auctori horum scholiorum praesto fuisse ab eoque per totum opus consultum esse.

Deinde in duabus fabulis additamenta quaedam occurrunt, quae cum alterius mythographi Vaticani, qui vocatur, verbis (fab. 110. 112. 198) ita congruunt, ut ex eo exscripta esse videri possint. utramque fabulam hic adscribo ita, ut, quae ex G fluxerunt, verba litteris solitis, quae ex B, inclinatis, quae denique ex mythographo Vaticano addita esse videntur, latius dispositis distinguam; prior igitur fabula est de Perseo:

Strozzianus.

p. 147, 1 — 148, 3. cf. Catast. fragm. p. 130 s.

Perseus quidem ex Iove et Danae natus. Iupiter autem in similitudinem aurei imbris se transformans delusit Danaen, Acrisii regis Argivorum filiam. quam pater postquam a Iove vitiatam cognovit, inter arcam includens praecipitavit in mare. quae delata ad Italiam inventa est a quodam piscatore et oblata regi, qui eam sibi fecit uxorem, una cum Perseo, quem enixa est in mari.[50]) *qui missus a Polydecte, rege insulae Seriphi, quae*[51]) *accepta a Mercurio talaria et a Vulcano arpen adamantinam* per aera iter faciens ad Gorgones Forci filias venisse perhibetur, quae angues pro crinibus dicuntur habuisse, quos qui vidisset in lapidem verteretur. Gorgonas fertur tres sorores

Mythograph. Vatic. II.

fab. 110.

Acrisius rex Argivorum accepit responsum, eum, qui ex filia nasceretur, morti sibi causam futurum; unde sollicitus turrem aeneam fecit et in ea filiam Danaen posuit . . . Iupiter autem versus in imbrem auream per tegularum rimas ad illam se demisit et gravidam fecit. quo comperto pater eam intra arcam inclusam praecipitavit in mare, quae ad Italiam delata inventa est a piscatore cum Perseo, quem illic enixa erat, et oblata regi, qui eam sibi in coniugium copulavit et cum ea Ardeam condidit, unde Turnus originem duxit.

[50]) Haec verba in Strozziano falso, apud mythographum vero loco leguntur.
[51]) scribe *post*. cf. ad Catasterism. fragm. p. 130.

Strozzianus.

fuisse uno oculo, una pulcritudine *inter se communicantes*, quarum nomina putantur prima *Σθενώ*, secunda *Εὐρυάλη*, tertia *Μέδουσα*. a quibusdam vero a Minerva missum dicitur et ei clipeum vitreum dedisse, per quem videre nec videri ab eis posset.

(quae secuntur, ex Basileensibus sumpta sunt.)

Altera est de Ganymede:

p. 153, 9 — 12. cf. Catast. fragm. p. 144 s.

Quidam volunt Ganymedem eum esse, Troili[53]) et Callirrhoes filium. qui cum in Ida monte venaretur, ob nimiam pulcritudinem a Iove adamatus et per aquilam raptus et inter astra conlocatus.

Mythograph. Vatic. II.

fab. 112.

Gorgones tres fuerunt, Stheno Euryale Medusa filiae Phorci regis et Cretidis[52]) nymphae . . . . . has si quis vidit, stupore statim in lapidem versus est . . . . quam Perseus filius Iovis et Danaes a Polydecte rege missus, accepto a Minerva, ne a Gorgona posset videri, vitreo clipeo interceptoque in primis Phorcidum lumine, quo invicem custodiis utebantur, interfecit e. q. s.

fab. 198.

Ganymedes, Troili regis Troianorum et Callirrhoae filius, propter corporis pulcritudinem, ne infamiam conubii masculini subiret, dum in Ida silva venaretur, ab aquila in caelum raptus e. q. s.

Similia sane ceteri quoque mythographi Vaticani narrant (I 130. 137. 184. III 14, 1. 15, 11) haud dubie ex eodem fonte derivata, sed omittunt nonnulla, velut Callirrhoes nomen, et plerumque aliis verbis utuntur atque quae in Strozziano et apud mythographum alterum legimus. neque tamen arbitror ipsum mythographum a scholiorum Strozzianorum auctore adhibitum esse. constat enim inter intellegentes eas, quas mythographi illi exhibent, fabulas maximam partem fluxisse ex commentariis in Vergilium conscriptis; atque prior fabula eisdem fere verbis, atque in Strozziano, in Servii commentario legitur ad Aeneid. VII 372 (I p. 425 Lion): *Danae Acrisii regis Argivorum filia, postquam est a Iove vitiata, pater eam intra arcam inclusam praecipitavit in mare. quae delata ad Italiam inventa est a piscatore cum Perseo, quem illic enixa fuerat et oblata regi Pilumno, qui eam sibi fecit uxorem; cum qua etiam Ardeam condidit. a quibus Turnum vult originem ducere* (scil. *Vergilius*). vides haec etiam propius ad Strozziana accedere, quam mythographi secundi verba; cetera sane in Servii commentariis, qui quidem in lucem editi sunt, desiderantur; sed cum mythographi Vaticani II fab. 112 cum Servio ad Aeneid. VI 289, eiusdem fab. 198 cum Servio ad Aeneid. I 28 cetero-

---

[52]) scribe *Crataeidos.* eadem Scyllae mater est. idem mendum nomen apud Servium ad Aen. III 420 contraxit.

[53]) debebat *Trois* cf. Apollodor. III 12. 2, 2. idem error fere solemnis in eadem fabula apud ceteros mythographos et in Servii codice Guelferbytano I (ad Aen. I 28) recurrit.

quin satis accurate congruant, equidem nullus dubito, quin utriusque capitis eae quoque particulae, quae cum scholiis Strozzianis consentiunt, primitus in commentariis Vergilianis extiterint. statuo igitur Strozzianorum auctorem in scholiis Germanici amplificandis praeter Hyginum et Fulgentium etiam Vergilii aliquem codicem scholiis instructum adhibuisse, qui fortasse hodie quoque in aliqua bibliotheca latet.

Restat, ut de eis dicam, quae Andromedae historiae addita sunt p. 139, 12 s.: *Andromeda filia fuit Cephei et Cassiepiae, quae adamata est a Cupidine et datum est responsum, ut traderetur cetui ad devorandum. quae suspensa inter duos montes et exposita cetui cum omnibus ornamentis.* neque in scholiis Basileensibus neque in Sangermanensibus haec extant; nec me hercule de Andromeda talia ab antiquo scriptore narrata esse crediderim. aperte autem ficta sunt ad Psyches historiae exemplum. nimirum scholiorum Strozzianorum auctor, quem Apulei narrationem ex Fulgentio III 6 cognitam habuisse suspicor, ea quam inter Andromedae Psychesque fata intercedere videbat similitudine[54]) permotus genuinam Catasterismorum narrationem ita suo Marte exornavit.

De fontibus scholiorum Strozzianorum dictum est; de aetate, qua haec ita conflata sint, certi nihil me adferre posse quam maxime doleo. ipse quidem Strozzianus archetypus esse nequit, cum iam vitiis nonnullis laboret, quibus Vrbinas, quamquam plerumque protervissime interpolatus, caret. neque tamen ante saec. VIII verborum structuram ita, ut in Strozzianis factum esse vidimus, neglegi crediderim. itaque scholia Strozziana inter saec. VIII et XIV et in Italia quidem ex eis quae supra indicavi scriptis conflata esse statuo; hoc igitur temporis spatio praeter Frisingensem alius quoque fabularum Hyginianarum codex extabat, qui, etsi nonnulla vitia cum Frisingensi communia haberet, tamen et integrior erat neque interpolatoris manum perpessus. qua ex cognitione quantum emolumenti ad fabulas Hygini recensendas redundet et per se patet et fortasse alio loco alioque tempore latius exponam.

---

[54]) vix est, quod moneam Apuleio, cum Psyches expositionem describeret, re vera Andromedae fabulam obversatam esse.

10930899

EPIMETRVM II.

QVOS PRAETER ERATOSTHENEM AVCTORES HYGINVS IN ASTROLOGIAE LIBRO ALTERO CONSCRIBENDO ADHIBVERIT.

Praeter Eratosthenem neminem saepius Hyginus commemorat, quam Hegesianacta. ex eo enim fluxisse quae VI p. 41, 21 — 42, 7 de Theseo, XIV p. 49, 20 — 50, 15 de Carnabonte, XXIX p. 70, 11 — 13 de Deucalione narrantur, ipsius scriptoris diserto testimonio constat. eidem ea, quae V p. 40, 4 — 41, 4 de Theseo et Minoe[1]) leguntur, tribuenda esse certissimum est; nam ita incipit Hyginus: *Alii dicunt hanc coronam Thesei esse et hac re propter eum conlocatam. nam qui in astris dicitur Engonasin, is Theseus esse existimatur, de quo posterius plura dicemus.* iam cum ex VI p. 41, 21 adpareat Hegesianacta Engonasin pro Theseo habuisse, ex illo etiam priorem fabulam fluxisse consentaneum esse. iniuria autem Hegesianax vel a Bursiano (Jahrb. f. class. Phil. 1866 p. 764) in Arati interpretum numerum refertur, cum eum carmen, cui *Φαινόμενα* titulus esset, scripsisse iam Meinekius An. Alex. p. 243 intellexerit. ad hunc enim spectat Ptolemaei nescio cuius epigramma, quod in Arati vita servatum est:[2])

Πάνθ᾽ Ἡγησιάναξ τε καὶ Ἕρμιππος τὰ κατ᾽ αἴθρην
τείρεα καὶ πολλοὶ ταῦτα τὰ Φαινόμενα
βίβλοις ἐγκατέθεντο· ἀποσκόπιοι δ᾽ ἀφάμαρτον.[3])
ἀλλὰ τὸ λεπτολόγον[4]) *σκῆπτρον Ἄρατος ἔχει.*

---

[1]) Notum est hanc fabulam Athenis in Theseo a Micone pictam fuisse. cf. Pausaniam I 17, 3. quam picturam Euphronium inter vasorum artifices facile praestantissimum ante oculos habuisse, cum divinum illum calicem, qui hodie Parisiis adservatur, depingeret, cum alii statuerunt tum Guilelmus Gurlittius (Theseion p. 44) et Guilelmus Kleinius (Ann. d. Inst. 1877 p. 267.) (v. de Witte Mon. publ. par l'assoc. pour l'encouragement des études grecques I et II, 1872. Conze Vorlegeblätter. S. V 1.) idem in cratera Agrigenti erutum, nunc in Museo Panormitano expositum cadere recte iidem viri intellexerunt. dudum hoc viderant Bröndstedius et Iahnius; sed oblocuti sunt Welckerus et Overbeckius.

[2]) V. Buhle Arat. II p. 433. Westermann *Βιογράφοι* p. 55. Bergk Anthol. graec. p. 167. Droysenius aut Euergeten alterum aut Philopatorem auctorem epigrammatis esse iudicat; ad *Ἰδιοφυῆ* sine ulla probabilitate refert Bergkius.

[3]) *ἀπὸ σκοποῦ οὐδ᾽ ἀφάμαρτον* Bergkius.

[4]) *ἀλλὰ τότε λεπτολόγου* codex: corr. Meinekius. *ἀλλ᾽ ὅγε λεπτολόγος* Bergkius.

adparet autem Ptolemaeum Hegesianacta et Hermippum cum Arato satis inepte comparaturum fuisse, nisi et ipsi carmina scripsissent.[5]) quid quod Hegesianactei carminis duo frustula vel hodie servata esse idem vidit Meinekius; extant ea apud Plutarchum de facie in orbe lunae p. 920 E et p. 921 B. in eodem igitur carmine fabulae, quarum summam Hyginus indicat, latius expositae erant, unde discimus Hegesianacta in sideribus explicandis ad mythologiam saepius respexisse quam Aratum. neque casui tribuendum esse puto, quod omnes quas ex Hegesianacte novimus fabulas ad Atticam spectant; nam primum Genicularium Theseum esse contendit eiusque esse cum Coronam tum Lyram, quae prope cernuntur; Ophiuchum pro Carnabonte Getarum rege habuit, Sophoclis fabulam, cui *Τριπτόλεμος* titulus est, in usum suum convertens; cf. fr. 543 Nauck. ac fortasse primariam quoque eiusdem fabulae personam inter sidera indagavit, Triptolemum: nam cum Hyginus de Geminis scribat II 22 p. 65, 1 *nonnulli etiam Triptolemum, quem supra diximus, et Iasiona a Cerere dilectos et ad sidera perlatos,* Hegesianactis sententiam referri non inepte conicere mihi videor. Aquarium denique Deucalionem esse dixit, quem Athenas confugisse ibique et habitasse et sepultum esse Cranai regis sive amicum sive patrem saepius narratur; v. Marm. Par. l. 6. Pausan. I 18, 9 Apollod. III 14, 6, 1. ceterum Nigidius quoque quae de Deucalione refert (schol. Germ. BP p. 85, 13 — 86, 3) ex Hegesianactis carmine exscripsisse videtur. hunc autem Hegesianacta eundem esse, qui apud Antiochum Magnum magnos honores adeptus sit et Cephalionis Gergithii personam mentitus *Τρωικά* conscripserit, tantum non certum est. nam Hegesianacta illum ex Troade Alexandrinum et scripsisse carmina et recitasse Demetrii Scepsii narratione apud Athenaeum VI p. 155 B servata constat. cf. Müller F. H. G. III p. 68.

Ex altero quoque, cuius in Ptolemaei epigrammate mentio fit, *Φαινομένων* auctore, Hermippo, duas narrationes Hyginus adfert; sunt eae de Iasionis filiis Philomelo et Pluto IV p. 38, 4 — 16[6]) et de Ariete, Liberi in Africa duce, XX p. 60, 25 — 61, 20, quarum alteram etiam Nigidius Figulus (schol. Germ. BP p. 80, 8 — 20) haud dubie ex eodem Hermippo narrat. ex scholiis Arateis intellegitur, quid idem de Delphino et de Centauro Araque protulerit: ad v. 316 p. 79, 24. *Ἕρμιππος δὲ (φησίν), ὅτι ἐπὶ Ἀπόλλωνος τιμῇ* (scil. *κατηστέρισται ὁ Δελφίν*) *ἡγησαμένου Κρησὶν εἰς Δελφοὺς δελφῖνι ὁμοιωθέντος.*[7]) et ad v. 436 p. 89, 11. *αὐτὸν* (sc.

---

[5]) Fugit hoc Droysenium Hellenismus III p. 51 adnot. 2.

[6]) Scrupulum movet, quod post Hermippum statim *Petellides Gnosius historiarum scriptor* nominatur, ignotus ceteroquin auctor, cuius ne nomen quidem constat; quid, quod sideris explicatio, si obiter inspicias, non ex Hermippo, *qui de sideribus scripsit,* sed ex hoc Petellide proferri videtur. at cum Hermippi explicatio omissa esse nequeat, statuo totam narrationem ad illum referendam esse, Petellidis autem testimonium de Philomelo tantum Plutoque adferri, de quibus ei cum Hermippo conveniebat. ceterum Petellidis notitiam ni fallor ex eodem scriptore Hyginus hausit, ex quo etiam Hermippi narrationem descripsit.

[7]) Ita MV. *ὅτι ἐπὶ Ἀπόλλωνος τιμῇ ἡγήσατο Κρησὶν εἰς Δελφούς* Bekkerus perperam.

τὸν Κένταυρον) *μὲν οὖν Ἕρμιππος Χείρωνά φησιν εἶναι, τὸ δὲ θηρίον σύμβολον θήρας, τὸ δὲ Θυτήριον τοῦ Πηλέως γάμου σημεῖον.* Chironem igitur Pelei nuptiis intervenientem Hermippus in caelo indagavit; hoc enim Centaurum et Aram significare; quae interpretatio nescio an ansam nobis praebeat ad alia quoque Hermippi fragmenta in Hygini Astrologia deprehendenda. illic enim II 15 auctorem aliquem, cuius nomen adscribere Hyginus praetermisit, Sagittam pro ea habuisse narratur, qua Hercules aquilam Promethei interfecit, cuius historia longius inlustratur. atque si quis poetarum Alexandrinorum in sideribus interpretandis lusus penitus cognoverit, is non unum tantum, sed complura sidera simul ex tali fabula explicari solere non ignorat. itaque qui Herculis sagittam in caelo esse finxit, exspectamus eundem nobis et eum, qui miserit sagittam, et eum, in quem missa sit, inter sidera demonstraturum esse. nullus igitur dubito, quin is, qui Sagittam Herculis esse dixerit, Aquilam, quae supra Sagittam volans in sideribus posita est, pro aquila Promethei habuerit; quae sententia egregie confirmatur scholio ad Rhesi versum 529 adscripto: *ἀετὸς δὲ ὁ τὸ ἧπαρ τοῦ Προμηθέως ἐσθίων, ὥς φασί τινες.* Sagittam autem, quae a Germanico *incertum quo cornu missa* dicitur, ut a Sagittario missam tibi fingas, utriusque sideris positio ultro suadere videtur; atque ne Sagittarius pro Hercule habeatur, figura sane sideris prohibere videtur; at quid est, quod poetae Alexandrini elegantia aut explicare sagaciter aut facete excusare nequeat? nec Prometheus deest; nam cum Hyginus II 6 p. 42, 23 de Geniculario scribat: *alii Promethea in monte Caucaso vinctum*, hanc explicationem ab eodem auctore profectam esse, quem in capite 15 exscribit, quam maxime est probabile. atque constat Pelei et Thetidis nuptias cum Promethei fato arcte cohaerere, illius enim consilio conciliatae sunt. quo consilio et maximo periculo Iovem liberat et cum illo in gratiam redit. maximae denique hac in re partes sunt Chironis, quippe qui Promethei loco ad moriendum ultro se offerat, ne Iovis verba inrita fiant. vides haec omnia optime inter se cohaerere, ut suspicari liceat, qui Sagittam ad Herculem rettulisset, eundem etiam Centaurum pro Chirone, Aram pro Pelei nuptiarum symbolo interpretatum esse. quae suspicio nisi fallit, lepida illa de Sagitta narratio ex Hermippo fluxit; atque nota quam bene Callimachi discipulo varia, quibus narratio illa scatet, *αἴτια* conveniant. ceterum cf. Prolegomena p. 7 adn. 10.

Ut vero Hegesianax ad heroas Atticos, ita Hermippus ad eos potissimum cum deos tum heroas respexisse videtur, qui vitam humanam cultu atque artibus exornaverunt, velut Apollinem, Liberum, Promethea, Polymelum denique et Plutum. ceterum nulla est causa, cur hunc *Φαινομένων* auctorem diversum habeamus a notissimo illo Callimachi discipulo. pro eodem habet Lozinskius, qui primus Hermippi fragmenta conlegit. Carolus Müllerus F. G. H. III p. 54, qui satis

---

cf. hymnum Homericum in Apollinem, quem Hermippus ante oculos habuisse videtur, v. 399 s.

αὐτὰρ ὁ τοῖσι συνήντετο Φοῖβος Ἀπόλλων·
ἐν πόντῳ δ' ἐπόρουσε δέμας δελφῖνι ἐοικώς
νηΐ θοῇ, καὶ κεῖτο πέλωρ μέγα τε δεινόν τε.

levibus argumentis usus huic sententiae oblocutus est, tamen confiteri debuit hunc Hermippum Callimacheo iuniorem esse non posse. itaque cur idem esse nequeat, non video, praesertim cum eum in fabulis exornandis Callimacheam disciplinam prae se ferre iam supra monuerim. denique et Lozinskius et Müllerus egregie falluntur *Φαινόμενα* carmen fuisse negantes.

Praeterea etiam tres poetae, qui de sideribus carmina composuerunt, ab Hygino commemorantur, Anacreon VI p. 42, 7 a Teio ille quidem haud dubie diversus, Alexander XXI p. 63, 8—10, Cleostratus denique Tenedius XIII p. 48, 20. de duobus prioribus consulendus est Meinekius Anal. Alexandr. p. 242 s. Cleostrati [8]) carminis, cui *Ἀστρολογίαν* titulum fuisse Athenaei VII p. 278 b testimonio constat, fragmentum habes in scholiis ad Euripidis Rhesum v. 529. quinque autem hos poetas ab Hygino lectos esse parum probabile est, non esse lectos mox intellegemus. nam praeter Eratosthenem Hyginus etiam alium auctorem, qui pedestri sermone de sideribus egit, habuerit necesse est; id quod paucis locis diligentius perpensis elucebit. Genicularii explicatione ex Eratosthene prolata sic pergit Hyginus VI p. 41, 15: *etsi, qui* [9]) *sit hic, negat Aratus quemquam posse demonstrare, tamen conabimur, ut aliquid veri simile dicamus:* tum non minus septem diversae huius signi explicationes adferuntur. atque quae modo adscripsi verba, satis absurde dicta sunt, cum paullo ante iam signum ex Eratosthene explicitum sit. quid multa! et verba illa et septem explicationes ex alio auctore sumpta sunt, qui data opera Arato oblocutus est. cum autem in eis Anacreon et Hegesianax laudentur, id quoque adparet non ipsum Hyginum carmina eorum legisse, sed haec frustula ignoto illi auctori deberi.

Simile quid in eis, quae de Lepore leguntur XXXIII, accidit. Aratus enim dixit v. 338:

ποσσὶν δ' Ὡρίωνος ὑπ' ἀμφοτέροισι Λαγωός
ἐμμενὲς ἤματα πάντα διώκεται.

---

[8]) Carolus Müllerus in Geographorum minorum editione I p. 69 hunc Cleostratum Astrologiae poetam a celeberrimo astrologo, qui primus Haedos Sagittarium Arietem in caelo repperisse primusque octoeterida instituisse dicitur, diversum esse putat, multo nimirum illo aetate inferiorem. quae opinio neque a Müllero ullo argumento fulta et improbabilissima est. nam miro profecto casu factum esset, si duo Cleostrati extitissent Tenedii ambo, ambo astrologi, ambo denique a Parmenisco lecti; deinde prorsus fugit Müllerum Cleostratum poetam a Parmenisco in schol. Rhes. v. 529 *ἀρχαῖον* vocari. unum igitur Cleostratum fuisse tenemus Tenedium, qui de sideribus carmen composuit. cuius aetatem satis certis terminis circumscripsit Vaterus in Rhesi editione p. 199 adn. inter Ol. LVIII et LXXI floruisse eum ratus; nam ex Censorino XVIII adparet eum ante Harpalum, ex Plinio II 31 post Anaximandrum vixisse. ceterum inter auctores superstites, qui Cleostrati mentionem faciunt, antiquissimus est Theophrastus de ventis I 4. cf. O. Iahnium in Censorini editione p. 53 et Meinekium in Analectis criticis ad Athenaeum p. 122.

[9]) *qui* MR et cod. Fribergensis, *quis* V et alii. cf. Bursianum Sitzungsber. d. bayr. Akad. 1876 p. 14 et Heydenreichium die Hyginhandschr. d. Freiberger. Gymnasialbibl. 1878, quae dissertatio, dum liber excuditur, mihi adlata est.

hanc igitur ad explicationem ea spectant, quae ex Catasterismis Hyginus exhibet XXXIII p. 71, 14—19; tum vero pergit: *qui autem ab hac causa dissentiunt, negant tam nobilem et tam magnum venatorem, de quo et ante in Scorpionis signo diximus et postea in ipsius figura dicemus,*[10]) *oportere fingi leporem venari. Callimachum quoque accusari, quod cum Dianae scriberet laudes, eam leporum sanguine gaudere et eos venari dixisset. itaque Orionem cum Tauro decertantem fecerunt. Leporis autem hanc historiam memoriae prodiderunt.* tum alia signi explicatio profertur p. 71, 25 — 72, 12. iterum habes Arati illum adversarium, cuius nunc nomen quaerendum est; nam cum Eratosthenes undeciens nominetur, eius, cui praeter Eratosthenem plurima deberi veri simile est, nomen prorsus celari quis sibi persuadeat? eorum autem, qui in censum venire possunt, scriptorum ceteri omnes historias scripserunt neque nisi strictim de sideribus locuti sunt, unus Parmeniscus data opera de signis caelestibus egisse videtur. nihil sane ei tribuendum est, quod in codice Vaticano a Victorio in Hipparchi editione edito inter Arati interpretes enumeratur; nam illic vel Thales et Parmenides nominantur. conferas velim quae supra p. 20 adnot. 39 et p. 30 de huius catalogi auctoritate exposui. sed gravissimum est testimonium Plinii, qui in Naturali historia XVIII 312 ita scribit: *dein consentiunt, quod est rarum, Philippus, Callippus, Dositheus, Parmeniscus, Conon, Criton, Democritus, Eudoxus IIII kal. Oct. capellam matutino exoriri et III kal. haedos.* vides Parmeniscum inter scriptores mere astronomicos de quaestione astronomica proferri, unde sine ullo temeritatis crimine concludimus eum peculiari libro de sideribus egisse. hunc igitur Parmeniscum bis Hyginus nominat. priorem locum totum adscribo II p. 32, 7 — 33, 4:

sed maiorem Arctum complures plaustri similem dixerunt, et ἅμαξαν Graeci adpellaverunt; cuius haec memoriae prodita est causa: in initio qui sidera perviderunt et numerum stellarum in unaquaque specie corporis constituerunt, non Arctum, sed Plaustrum nominaverunt, quod ex VII stellis duae, quae pares et maxime in uno loco viderentur, pro bubus haberentur, reliquae autem V figuram plaustri simularent. itaque et quod proximum huic est signum Booten nominari voluerunt, de quo posterius plura dicemus. Aratus quidem non hac re Booten nec illud Plaustrum dicit adpellari, sed quod Arctus videatur ut plaustrum circa polum, qui boreus adpellatur, versari, et Bootes agitare eam dicatur. in quo non mediocriter videtur errare. postea enim de VII stellis, ut Parmeniscus ait, V et XX sunt a quibusdam astrologis constitutae, ut ursae species non VII stellarum perficeretur. itaque et ille, qui antea plaustrum sequens Bootes adpellabatur, Arctophylax est dictus, et isdem temporibus, quibus Homerus fuit, haec Arctos est adpellata. de VII trionibus ille enim dicit hanc utroque nomine et Arctum et Plaustrum adpellari; Booten autem nusquam meminit Arctophylaca nominari.

---

[10]) Verba *et postea — dicemus* addenda esse vidit Bursianus; legit enim is, qui hanc fabulam in scholia Basileensia interpolavit. v. supra Catast. fragm. p. 172.

adparet totam disputationem unam esse atque ea, quae Parmenisco diserte nominato adferuntur, verba cum praecedentibus tam arte cohaerere, ut divelli nequeant. at cum Aratus non mediocriter errasse dicatur, nonne agnoscis eundem illum Arati reprehensorem, quem iam bis deprehendimus? nonne consentaneum est, haec omnia ex eodem scriptore fluxisse, ad Parmeniscum igitur duas illas, quas supra indicavi disputationes, quae sunt de Geniculario VI p. 41, 15 — 42, 23 et de Lepore XXXIII p. 71, 19 — 72, 12, et ipsas redire?

Iterum Parmeniscus laudatur XIII p. 48, 13—21 de Capra[11]) et Haedis; ita ut, quo modo haec sidera fabulose explicuerit, ex Hygino, quid de eorum ortu dixerit, ex Plinio l. l. discamus. quod vero in calce fabulae additur Cleostratum primum Haedos inter sidera ostendisse, id quoque procul dubio ex eodem Parmenisco habet Hyginus; nam miro quodam felicique casu factum est, ut aliud quoque Parmenisci fragmentum servaretur, in quo eiusdem poetae non solum mentio fit, sed etiam versus, soli illi qui aetatem tulerunt, adscribuntur. extat autem in scholiis ad Rhesum v. 529, ubi verba *πρῶτα δύεται σημεῖα* explicantur: *ὁ μὲν οὖν Παρμενίσκος πρῶτα σημεῖά φησι λέγεσθαι τὰς τοῦ Σκορπίου πρώτας μοίρας διὰ τὸ ὑπὸ τῶν ἀρχαίων οὕτως αὐτὰς λέγεσθαι καὶ ὅτι ταύταις ὁ Βοώτης ἅμα ἄρχεται καταδύεσθαι· Κλεόστρατον γοῦν τὸν Τενέδιον ἀρχαῖον*[12]) *οὕτως·*

ἀλλ᾽ ὁπόταν τρίτον ἦμαρ ἐπ᾽ ὀγδώκοντα μένῃσι
Σκορπίος, εἰς ἅλα πίπτει ἅμ᾽ ἠοῖ φαινομένῃφι.

τοῦτο δὲ παραδείξας ὁ Παρμενίσκος ὅτι καταδύεται κτλ. hinc igitur illum Cleostrati carmen legisse adparet. certissimum autem est Parmenisci fragmentum pertinere usque ad verba *λοιπὸν οὖν τῆς φυλακῆς ὁ καιρός· „ἔγρεσθε, τί μέλλετε“;* ac vel sequentia *ἑπτάπορον δὲ τὴν Πλειάδα, ὅτι ἐξ ἑπτὰ ἀστέρων σύγκεινται αἱ Πλειάδες· ἀετὸς δὲ ὁ τὸ ἧπαρ τοῦ Προμηθέως ἐσθίων, ὥς φασί τινες* ex Parmenisco descripta esse admodum videtur mihi veri simile.

Sed antequam longius progrediamur, egregius quidam Hilleri doctissimi viri error confutandus est. ille enim (Eratosth. rel. p. 75) duo, quae Parmenisci nomine ab Hygino adferuntur, fragmenta ex commentario Homerico, quem illum scripsisse sibi fingit, fluxisse statuit; utrumque enim locum cum Homeri commemoratione arte cohaerere putat. id quod si non prorsus false, at saltem minus accurate dictum est. nam prioris disputationis summa non in eo versatur, ut versus Homericus explicetur, sed ut Ursae maioris sive Plaustri denominationes exponantur; altera autem verba Homeri sane commemoratio praecedit; sed ea cum alia narratione cohaeret, quae et aliunde petita est et quam maxime Parmenisci sententiae repugnat. adde quod totum illud Parmenisci fragmentum de Haedis agit, cuius

---

[11]) Parmenisco de Capra cum Nicandro convenire videtur. cf. schol. Arat. 161 (Nicandri fragm. 114 Schneider) *τὴν δὲ αἶγα Νίκανδρος Ἀμαλθείαν καὶ Διὸς τρόφον;* ita enim MV.

[12]) Post *ἀρχαῖον* Meinekius Anal. Crit. ad Athenaeum p. 122 addere vult *ποιητὴν λέγειν*. Wilamowitzius nihil aliud quam *ὄντα* excidisse arbitratur; fortasse recte. certe nullo modo Dindorfius audiendus est, qui *ἀρχαῖον* in *ἀστρολόγον* mutari iubet.

sideris Homerus nec mentionem facit nec facere potest, cum longo demum post eum tempore a Cleostrato Tenedio repertum et nominatum sit. denique Hillerus et Rhesi scholium et Plinii testimonium plane neglexit. mittamus igitur Parmenisci commentarium illum Homericum, qui num unquam extiterit, valde dubito; Bergkii (Anal. Alexandr. II p. 19) sententiam in Eratosthenis Mercurium eum commentarium composuisse arbitrati verbo tetigisse satis habeo. immo ut iam supra indicavi, astronomicum aliquod Parmenisci opus extitisse necesse est, sive ille commentarium in Aratum conscripsit sive peculiari libro de eis poetarum versibus egit, qui ad sidera spectabant. haec sola restat dubitatio utrum etiam quae in scholiis ad Rhesum servata sunt fragmenta ex eodem illo libro fluxerint an Parmeniscus hanc fabulam commentario inlustraverit.[13])

His igitur statutis videamus, num alia quoque Parmenisci fragmenta apud Hyginum deprehendere possimus. ex ipsis Hygini verbis intelleximus, quae II p. 32, 7 — 33, 4 de Ursae maioris nominibus, XIII p. 48, 13—21 de Haedis narrantur, ex Parmenisco hausta esse; at cum priore fragmento minoris Ursae sive Phoenices nominis interpretatio ita coniuncta est, ut eam quoque Parmenisco tribuere non dubitaverim; his autem Hygini verbis scholium ad Arat. v. 39 respondet, unde hoc et ipsum aliquo certe modo cum Parmenisco cohaerere statuendum est. deinde iam supra statui, et eam quae sub Lepore XXXIII p. 71, 9 — 72, 12 narratur, historiolam, et eas quae VI p. 41, 15 — 42, 23 proferuntur Geniculariі explicationes Parmenisci esse, quod utroque loco auctor eodem fere modo Arato obloquitur, quo Parmeniscum II p. 32, 7 Arato obloqui videmus. quod si recte statui, vix dici potest quantum lucremur ad alia etiam Parmenisci fragmenta ex Hygino enucleanda. nam in Genicularіo explicando a Parmenisco, ut Aeschylum missum faciam, nominantur Hegesianax, de quo iam latius locuti sumus, et Araethus Tegeates.[14]) hos autem rarae perfecto memoriae auctores ab Hygino, quid dico? ab alio, nisi a viro doctrina lectioneque unice praecellente, lectos esse vix credi potest, a Parmenisco lectos esse, qui et Aristachi disciplinae addictus erat et vel Cleostratum

[13]) Quod Parmeniscus ad v. 521 *προταινί* tamquam vocabulum Boeoticum vituperat, peculiarem Rhesi fabulae commentarium indicare videtur; at vide versum 521 a stasimo, quod siderum nomina continet, proxime abesse; neque opinor quicquam impedit, quin Parmeniscum, cum de stasimo illo latius in libro astronomico ageret, etiam de praecedenti scena locutum esse arbitremur. ceterum verissime me monet Wilamowitzius minime exploratum esse, num Parmeniscus in ullam Euripidis fabulam commentarium conscripserit. nam quater praeterea in scholiis Euripideis commemoratur ad Medeam v. 10. v. 273, ad Troadas v. 221. v. 228. atque quae ad Medeam adnotantur, et inter se arte conexa sunt et ad fabulae varietatem spectant, ut in quocunque libro Medeae res tangebantur, optime locum habere potuerint; quae autem ad Troadas, et ad unius stasimi unam stropham spectant et pura puta geographica sunt, ut ex opere geographico hausta esse possint, in quo Troadum stasimum, ut in astronomico libro Rhesi, adscriptum erat atque inlustratum.

[14]) Araethi Arcadica commemorantur a Dionysio Halicarnasensi Antiquit. I 49, praeterea in scholiis Il. Δ 319, Apollon. B 498, (Eur.) Rhes. 36. schol. Od. ϰ 495. ceterum vera nominis forma Ἄραιθος esse videtur; ita enim Apollonii liber Laurentianus habet, eandem formam habes in titulo Attico C. I. A. I 433. contra ceteri testes omnes Ἀρίαιθος, schol. Rhes. Ἀριῆθος. Cf. F. H. G. IV p. 318 s.

noverat, non mirabimur. idem in Hermippum cadere et per se probabile est et confirmatur, si quidem supra recte statui eis, quae ultima sunt et capitis sexti et Parmenisci fragmenti, verbis *alii Promethea in monte Caucaso vinctum* Hermippi explicationem contineri; cui sententiae nescio an nunc novum adminiculum inde peti possit, quod Parmenisci fragmenti in scholiis ad Rhesum l. c. servati verba extrema *ἀετὸς δὲ ὁ τὸ ἧπαρ τοῦ Προμηθέως ἐσθίων ὅς φασί τινες* eam Aquilae interpretationem referunt, quam ab Hermippo profectam esse supra evincere studui. itaque Hermippum quoque a Parmenisco, quem maxime ad poetas respexisse iam monui, adhibitum esse non sine probabilitate statuere mihi videor.

Quae cum ita sint, omnia ea quae supra enumeravi Hermippi Hegesianactisque fragmenta Hyginum apud Parmeniscum repperisse arbitror. idem cadit in alteram, quam ex Araetho profert fabulam, quae est de Ursa maiore I 18—20. Anacreontis quoque versum p. 42, 8 ex eodem auctore descriptum esse ex praecedentibus ultro elucet. haec satis certis indiciis deprehendisse mihi videor Parmenisci fragmenta; etiam alia inesse probabile est, quamquam demonstrari nequit. mihi quidem dubium non est, quin eae quoque Ophiuchi explicationes XIV p. 15, 15 — 51, 13, quae Hegesianactis narrationem ex Parmenisco et ipsam petitam excipiunt, Eratosthenica autem antecedunt, ad Parmeniscum referendae sint.

Ad eos pergo scriptores, qui non de sideribus egerint, sed fabulas conlegerint. ex his si quos ab ipso Hygino lectos esse evincere potuerimus, non spernendum emolumentum inde redundaturum esse adparet ad eos, unde fabularum liber compilatus est, fontes investigandos. atque si Catasterismorum fragmenta paullo accuratius examinaveris, intelleges Hyginum saepius alios auctores ad Eratosthenis narrationes complendas aut corrigendas adhibuisse; idem eum in Parmenisco fecisse consentaneum est, quamquam hodie haec additamenta discerni nequeunt. eos autem scriptores, quorum verba Hyginus Eratosthenicis immiscet, ipsum manibus habuisse quis est qui neget? confidenter igitur pronuntio hos ab Hygino lectos esse historiarum scriptores, Asclepiadem, Istrum, Euhemerum.

Asclepiades semel tantum commemoratur XXI p. 62, 16 de Hyadibus cf. Catasterism. fragm. p. 109, 1—3, Prolegomena p. 15; *hae dicuntur a Lycurgo fugatae et praeter Ambrosiam omnes ad Thetim profugatae, ut ait Asclepiades.* ex his verba *hae dicuntur a Lycurgo fugatae* Eratosthenica sunt; ex Asclepiade haec sola petita sunt *et praeter Ambrosiam omnes ad Thetim profugatae.* at ea quoque, quae secuntur, Eratosthenica sunt. mediae igitur Eratosthenis narrationi interposuit Hyginus, quae apud Asclepiadem invenerat. hic Asclepiades utrum Myrleanus sit an Tragilensis dubitatur a viris doctis; sed est Tragilensis. nam ubi de Equo Hyginus loquitur, Eratosthenis quem in ceteris huius capitis partibus exscribit verbis Bellerophontis historiam adiungit tam accurate illam cum Asclepiadis Tragilensis fragmento consentientem, ut ex illo haustam esse nemo non sit concessurus. fragmentum illud una cum Hygini narratione adpono, ita ut quae Eratosthenica sunt, solitis, quae ex Asclepiade hausta sunt verba, inclinatis litteris distinguam.

Hygin. II 18, p. 58, 5 — 22
(cf. Catasterism. fragm. p. 121).

Hunc Aratus et alii complures *Pegasum Neptuni et Medusae Gorgonis filium* dixerunt. qui in Helicone Boeotiae monte ungula feriens saxum fontem aperuit, qui ex eius nomine Hippocrene est adpellatus. *alii dicunt*, quo tempore Bellerophontes *ad Proetum Abantis filium, Argivorum regem, devenerit, Antiam regis uxorem hospitis amore inductam petisse ab eo, ut sibi copiam faceret, promittens ei coniugis regnum. quae*[15]) *cum impetrare non potuisset, verita, ne se ad regem criminaretur, occupat: eum sibi vim adferre voluisse Proeto dicit. qui quod eum dilexerat, noluit ipse supplicium sumere, sed quod aequum*[16]) *esse sciebat, mittit eum ad Iobaten, Antiae patrem, quam alii Sthenobocam*[17]) *dixerunt, ut ille filiae pudicitiam defendens Bellerophontem obiceret Chimaerae,*[18]) *quae eo tempore Lyciorum agros flamma vastabat. unde victor*

Asclepiades Tragilensis fr. 12 Müller.
(schol. Il. Z 155).

(*Βελλεροφόντης*) *οὗτος πρότερον ἐκαλεῖτο Ἱππόνους· ἀνελὼν δὲ Βέλλερον τὸν Κορινθίων δυνάστην Βελλεροφόντης ἐκλήθη. ἦν δὲ φύσει μὲν παῖς Ποσειδῶνος, ἐπίκλησιν δὲ Γλαύκου. λαβὼν δὲ παρὰ Ποσειδῶνος τὸν Μεδούσης τῆς Γοργόνος Πήγασον πτερωτὸν ἵππον .... τούτῳ ἐπωχεῖτο. δράσας δὲ ἐμφύλιον φόνον, Βέλλερον γάρ τινα, ὡς ἔφην, τῶν πολιτῶν ἀποκτείνας φεύγει εἰς Ἄργος· τυχὼν δὲ καθαρσίων παρὰ Προίτου τοῦ βασιλέως μετ' αὐτοῦ διέτριβεν. Ἄντεια δὲ ἡ τοῦ Προίτου γυνὴ ἐρασθεῖσα τοῦ Βελλεροφόντου ἐδεῖτο, ὅπως αὐτῇ συνευνασθῇ· ὁ δὲ δεξιούμενος τὸ ὅσιον ἀντέλεγεν. ἡ δὲ Ἄντεια δείσασα, μὴ τῷ Προίτῳ προλαβὼν ἐξείποι τοὺς αὐτῆς ἔρωτας, ἔφθασε τὸν Βελλεροφόντην κατειποῦσα, ὡς ἄρα εἴη βεβιασμένη πρὸς αὐτοῦ. ὁ δὲ Προῖτος αὐτόχειρ μὲν οὐκ ἐβουλήθη τὸν Βελλεροφόντην ἀποκτεῖναι, πέμπει δὲ αὐτὸν εἰς Λυκίαν πρὸς τὸν πενθερὸν Ἰοβάτην, ἀδοκήτως καθ' ἑαυτοῦ κομίζοντα γράμματα. ὁ δὲ πολλοῖς αὐτὸν ἐγγυμνάσας ἄθλοις, ὡς οὐχ ἑώρα φθειρόμενον ὑπετόπησε τὴν κατ' αὐτοῦ στρατηγηθεῖσαν δεινὴν καταβολήν. τοσοῦτον γὰρ κακῶν ὄχλον τῇ δυνάμει κατηγωνίσατο. ἔδωκε δὲ αὐτῷ πρὸς γάμον τὴν ἰδίαν θυγατέρα Κασάνδραν καὶ τῆς βασιλείας μοῖράν τινα. λέγεται δὲ αὐτὸν ἐπαρθέντα, ἐφ' οἷς ἔπραξε, θελῆσαι ἐπὶ τοῦ Πηγάσου τὸν οὐρανὸν κατοπτεῦσαι· τὰ γὰρ νῶτα, ὡς ἔφαμεν, πτερωτὰ εἶχεν ὁ ἵππος τὸν δὲ Δία μη-*

---

[15]) *quae* BMRV. *quod* D.

[16]) *aequum* R et Fribergensis. *equum* M 1 m. G. corr. in *eum* D. *ei equum* M 2 m PV.

[17]) Verba *quam alii Sthenebocam dixerunt* valde suspecta; Asclepiadem, quamvis in universum tragicorum commenta sequatur, tamen Proeti uxorem ex Homero Antiam vocare vides. potest sane Stheneboeae nomen ab ipso Hygino ex Aristonici scholio ad Z 160 additum esse; sed tum nisi egregie fallor ibi addidisset, ubi primum Antiae mentionem facit; quare interpolatori haec tribuenda esse censeo.

[18]) Cf. Diodori libri VI excerpt. Escorial. F. H. G. II p. VII, in L. Dindorfii editione p. 106.

effugiens post fontis inventionem *cum ad caelum contenderet evolare neque longe iam abesset, despiciens ad terram timore permotus decidit ibique perisse dicitur.* equus autem subvolasse et inter sidera ab Iove constitutus existimatur.

νίσαντα οἶστρον ἐμβαλεῖν τῷ Πηγάσῳ, ὥστε ἐκπεσεῖν μὲν τὸν Βελλεροφόντην καὶ κατενεχθῆναι εἰς τὸ τῆς Λυκίας πεδίον, ... ἁλᾶσθαι δὲ κατὰ τοῦτο πηρωθέντα, τὸν δὲ ἵππον λαβεῖν τὴν Ἠῶ δεηθεῖσαν τοῦ Διὸς δῶρον πρὸς τὸ ἀκόπως περιέναι τὰς τοῦ κόσμου περιόδους. Ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Ἀσκληπιάδῃ ἐν Τραγῳδουμένοις.

vides mediam fabulae partem ab utroque eisdem fere verbis narrari; de exitu dissentiunt, cum Hyginus ad Eratosthenem revertatur, ex quo etiam illa *post fontis inventionem* Asclepiadis verbis interposuit. contra in principio capitis Pegasi parentes ex Asclepiade Eratosthenicis addidit. hinc igitur Hyginum Asclepiadis *Τραγῳδούμενα* manibus habuisse concludo, id quod ad argumenta tragica, quae in Fabularum libro saepius occurrunt, recte aestimanda summi momenti est.[19])

Ex Istro duae narrationes totae adponuntur, quarum una est de Orione a Diana invita insciaque occiso XXXIV p. 73, 12 — 22, altera de corvo,[20]) qui cum Apollini Coronidis perfidiam nuntiasset, niger ex albo factus esse dicitur XL p. 76, 17 — 20. neutra ad sideris, sub quo adfertur, explicationem spectat; utraque Eratosthenis narrationibus supplementi instar adiuncta est, ne, qualis fabulae forma apud Istrum extaret, lectores ignorarent. denique ubi Hyginus Eratosthenis de Cane narrationem reddit, cum alia tum exitum ex Istro admiscet XXXV p. 73, 23 — 74, 4 (cf. Catasterismorum fragm. p. 167. 169) idque satis inconsiderate; nam dum Istrum secutus canem simul cum vulpe in lapidem mutatum esse narrat, prorsus oblitus est dicendum fuisse eum inter astra esse relatum; nam de sideris explicatione agitur. duas priores narrationes ex Istri libro, cui *Ἀπόλλωνος ἐπιφάνειαι* titulus erat, fluxisse non sine probabilitate statuit Carolus Müllerus F. H. G. I p. 423; tertiam ad *Ἀττικά* referendam esse certissimum est eoque rettulit Müllerus l. c. p. 420. ceterum eundem Istrum *Ἀργολικά* scripsisse constat. v. Steph. Byz. s. v. *Ἀπία*. Athen XIV p. 650 B. F. H. G. I p. 424 fr. 43. 44. itaque Prosymni fabula, quam Hyginus ex eis, *qui Argolica conscripserunt*, narrat V p. 39, 8 — 40, 3, fortasse ad eundem Istrum referenda est. eandem ex eodem fonte haustam sed graeca lingua enarratam in Anonymi analectis mythologicis, quae in libro Laurentiano 50, 1 servata sunt, recurrere iam Wilamowitzius meus in Analectis Euripideis p. 181 s. adnot. 4 observavit.[21])

---

[19]) Cf. quae de Asclepiadis Tragilensis libro Wilamowitzius meus Anal. Eur. p. 181 adn. 3, ego de Apollodori bibl. p. 74 disputavimus.

[20]) Simillima Ovidius Met. II 534—546. 596—632 fortasse ex eodem Istro narrat. Fabula 202 utrum ab ipso Hygino ex eodem Istro repetita sit an ab interpolatore ex Ovidio addita, diiudicare nunc quidem nequaquam ausim. antiquissimus historiae auctor Hesiodus est in Catalogis (fr. 142 Marksch.).

[21]) Fallitur Wilamowitzius Polymnum, quod nomen Pausaniae libri exhibent, rectiorem formam esse suspicatus. immo apud Pausaniam II 37, 5 *Πρόσυμνος* pro *Πόλυμνος* restituendum

Euhemerus ter commemoratur XII p. 46, 21, 22. XIII p. 49, 12—17, XLII p. 80, 9 idque semper in fine capitis, postquam Eratosthenis narrationes redditae sunt; at cum Eratosthenes ad Euhemerum non respexerit, ipsum Hyginum eius *ἱερὰν ἀναγραφήν* legisse manifestum est.

Semel commemorantur Phylarchus XL p. 77, 1 — 78, 7, Polyzelus Rhodius XIV p. 51, 1—14, Leon, *qui res Aegyptias conscripsit* XX p. 61, 20 — 62, 6. quos utrum ipse Hyginus legerit an aliunde, fortasse ex Parmenisco habuerit, certis argumentis diiudicari nequit. Polyzeli[22]) narrationem apud Parmeniscum extitisse, supra p. 228 conieci. Leonem vero, quem vel scriptores ecclesiastici cognoverunt, Clementem Alexandrinum dico Arnobium Tertullianum,[23]) ab Hygino quoque lectum esse crediderim. eidem Leoni nescio an tribuenda sint, quae XXVIII p. 69, 22 — 70, 7 ex *Aegyptiorum sacerdotum et nonnullorum poetarum* narrationibus adferuntur; immo si quis fabulam aperte Aegyptiacam,[24]) quae de socco Veneris ab aquila rapto et in Aegyptum delato profertur XVI p. 56, 7—14, ad eundem Leonem referre voluerit, equidem certe nullo modo obloquar.

Venio ad poetas; atque Arati carmen ab ipso Hygino lectum esse vix est quod moneam; immo in libri quarti capite tertio p. 103, 15 s. duos ex eo versus una cum Ciceronis versione adscribit. sed etiam in libro secundo ad eum respexit; velut ea verba, quae XXXIV p. 73, 7—10 Eratosthenis de Orione narrationem excipiunt: *nonnulli autem aiunt Oriona cum Oenopione prope nimia coniunctum amicitia vixissse et, quod ei voluerit suum studium in venando probare, Dianae quoque pollicitum quae supra diximus et ita interfectum* aperte ad horum Arati versuum similitudinem scripta sunt 638 — 640

Χίῳ ὅτε θηρία πάντα
καρτερὸς Ὠρίων στιβαρῇ ἐπέκοπτε κορύνῃ
θήρης ἀρνύμενος κείνῳ χάριν Οἰνοπίωνι.

similiter III 2 p. 81, 17 — 82, 3 Draconis positio ex Arati versibus 45—62 describitur.

Callimachum et Eratosthenem ab Hygino lectos esse iam in Prolegomenis suspicatus sum p. 5. 6 s.; ex Eratosthenis Erigona et versum et totam de hirco fabulam adponi IV p. 35, 4—11 arbitror; de Mercurio dubito, ut dixi p. 6. Callimachus adhibetur de Hippe XVIII p. 59, 9—11, de Orione XXXIV p. 73, 10—12, de Argo XXXVII p. 74, 21 — 75, 2; prioribus duobus locis non ad hymnum in Dianam v. 265, 266, sed ad deperditum aliquod carmen, fortasse *Ἀρκαδίαν,* respici contra Naekium recte statuit Schneiderus in Callimacheis II p. 574 s.; idem tertium ad *Αἴτια* probabiliter rettulit l. c. p. 58; quamquam non negaverim haec quoque Hyginum aliunde habere posse, fortasse ex Callimachi di-

est; cohaeret enim nomen cum Cerere *Προσύμνῃ*, quae et ipsa Lernae culta a Pausania paullo antea II 37, 2 commemoratur. cf. etiam Kaibel Epigr. graec. 821.

[22]) Polyzeli memoria praeterea apud Athenaeum VIII p. 361 c, Plutarchum Solon 15, 9, denique in scholiis Hesiodeis ad Opera v. 9 servata est. cf. F. H. G. IV p. 481.

[23]) Cf. F. H. G. II p. 331.

[24]) Egregie animadvertit Bursianus Sitzungsber. d. bayr. Akad. 1876 p. 20 in nominis monstro, quod est *Anapladen* — ita enim RV —, Anubidem latere.

scipulo Istro, cuius verba p. 73, 12 Callimachi commemorationem continuo excipiunt; nam XXIV p. 67, 2 Callimachi mentionem ad Eratosthenem, XXXIII p. 71, 22 ad Parmeniscum referendam esse iam supra exposui.

Denique num Pindari vel deperdita carmina, hymnos dico et dithyrambos, Hyginus cognoverit incertus sum. nam ad Pindari hymnos Phrixi fabulam, quae inter Eratosthenis et Hermippi narrationes in medio posita est XX p. 60, 8 — 25, non improbabiliter referre videor, quod in illa Phrixi noverca *Demodice* nominatur, quo nomine Pindarum in hymnis usum esse ex scholiis Pyth. IV 388 discimus. sed hoc fortasse levius est, praesertim cum hanc fabulam, ut re vera Pindarica sit, apud Parmeniscum aliumve auctorem exscriptam invenisse possit. plus valet, quod in Orionis historia ex Eratosthenis Catasterismis reddenda (XXXIV p. 72, 16 s. = Catasterism. fragm. p. 165 b) ex Pindari dithyrambis[25]) nonnulla addidit prorsus eodem modo, atque alibi ex Asclepiade et Istro; hoc autem indicio maxime, quos ipse Hyginus auctores legerit, agnoscimus.

Latinos auctores Hyginus fere neglexit, velut Nigidium Figulum ab eo lectum non esse dudum perspectum est; nam quos cum eo fabulas communes habet, eae ad eundem omnes fontem, Eratosthenem nimirum, redeunt. ex Ciceronis Arateis duos versus adferri iam supra monui. de Ovidio dubito; nam de Hippe quae post Eratosthenis verba relata narratur fabula XVIII 9 s: *nonnulli eam vatem dixerunt fuisse, sed, quod deorum consilia hominibus sit enuntiare solita, in equam esse versam,* prorsus eadem est, quam habet Ovidius Met. II 635—675. cum eodem convenit Hygino de priore Hippes nomine, quod Eratosthenicis addidit, si quidem recte p. 58, 25 (Catast. fragm. p. 121 b 17) *Ocyrhean* pro eo, quod libri habent, *thean* scripsi. sed hic consensus inde quoque natus esse potest, quod eundem mythographum graecum uterque exscribit, ut factum esse videtur in Istro. v. supra p. 230 Merkelius sane etiam in alia fabula Ovidium adhibitum esse arbitratur; nam cum XIV p. 51, 21 — 52, 7 Aesculapius, non Polyidus, Glaucum in vitam reduxisse dicatur, et natam esse hanc fabulam et in Hyginum irrepsisse ex his fastorum versibus male intellectis VI 750 s.

profuerant Glauci manibus illa prius,
tunc cum observatas augur descendit in herbas,[26])
usus et auxilio est anguis ab angue dato.

---

[25]) Hygin. l. l. *Aristomachus autem dicit quendam Catrea fuisse Thebis, Pindarus autem in insula Chio.* Strabo IX 404 ex Apollodoro *καὶ ἡ Ὑρία δὲ τῆς Ταναγραίας νῦν ἐστί, πρότερον δὲ τῆς Θηβαΐδος· ὅπου ὁ Ὑριεὺς μεμύθευται καὶ ἡ τοῦ Ὠρίωνος γένεσις, ἣν φησι Πίνδαρος ἐν τοῖς Διθυράμβοις.* ad idem carmen utrumque testimonium rettulit Bergkius Poet. lyr. I² p. 298; recte, ni fallor; quamquam si accurate locutus esset Strabo, Pindarum in dithyrambis Orionis ortum Tanagram contulisse, Hyginum igitur ad aliud Pindari carmen respicere statuendum esset. sed mihi quoque Strabo nihil aliud dicere voluisse videtur, quam Pindarum in dithyrambis de ortu Orionis egisse, de loco autem suam, non Pindari sententiam proferre.

[26]) Merkelius hos versus ita scribi iubet:

tunc cum observatas anguis descendit ad umbras,
usus et auxilio est augur ab angue dato.

quae cum de Polyido Ovidius dixisset, Hyginus aut eius interpolator, ut Merkelio visum est, ad Aesculapium perperam rettulit. at primum haec Hygini narratio seiungi nequit a verbis, quae ab Eratosthene aliena Eratosthenicae disputationi ab ipso Hygino aliunde admixta sunt: *nonnulli Glaucum Minois filium eius opera revixisse dixerunt.* deinde insunt in hac fabula nonnulla neque illa profecto inlepide commenta, quae ex Ovidii illis versibus nullo modo elici potuerint, velut anguem ad Aesculapii baculum adrepsisse. denique non apud unum Hyginum, sed vel apud graecos auctores Aesculapius, non Polyidus, Glauco vitam reddidisse dicitur, cuius fabulae auctor ab Apollodoro III 10, 3, 10 Melesagoras proditur. itaque hanc fabulam non ex Ovidio, sed ex mythographo aliquo graeco Hygino cognitam fuisse statuo.

Multae sane restant narrationes, quae unde petitae sint, prorsus inscius haereo. sunt autem eae praecipue, quae cum siderum explicatione non cohaereant, veluti Veneris et Proserpinae de Adonide rixa VII p. 44, 5, Cecropis filiarum scelus et poena XIII p. 47, 15—21 (cf. Fab. 166), Arion a delphino servatus XVII p. 57, 11 — 58, 4 (cf. Fab. 194), denique quae in Icarii (IV p. 35, 12 s. Catast. fragm. p. 75 — 81) et Orphei (VII p. 42, 24 — 43, 15. Catast. fragm. p. 139, 141) historiis ad Eratosthenis narrationem amplificandam exornandamque addita sunt. haec omnia utrum ex uno eorum, quos supra indicavi, auctorum an aliunde habeat Hyginus diiudicare nequaquam ausim. de duabus tamen historiis habeo, quod memoratu dignum videatur. nam Meropis transfiguratio XVI p. 55, 17 — 56, 2 etiam in Victorianis, quae nunc Townleyana rectius vocantur, Iliadis scholiis narratur ad Ω 293: *ὅτι Μέροψ ὁ Κῷος ἀπαύστως ἐπένθει τὴν γυναῖκα· ξενίσας δὲ τὴν Ῥέαν μετεβλήθη καὶ συμπάρεστιν ἀεὶ τῷ Διί.* haec Hygini narrationi ita respondent, ut nullus dubitem, quin ex eodem fonte fluxerint, nisi quod Hyginus pro *Ῥέαν* legisse videtur *Ἥραν*. hoc autem et verum videtur, cum fidem coniugis honorare Iunonem unice deceat, et in scholiis Victorianis restituendum est. praeterea scrupulum movet Diognetus Erythraeus, qui miram aliquam de Piscibus fabulam prodidisse dicitur, Dercetus historiae gemellam; nam Venerem et Cupidinem cum Typhonem fugissent in Euphratem se proiecisse et pisces factos esse narratur XXX p. 70, 18 — 71, 1; quae eadem fabula sine dubio ex eodem fonte hausta etiam in Ovidii fastis recurrit II 459—474. sed quis obsecro est iste Diognetus Erythraeus? fuerunt qui de Diogneto Alexandri Magni *βηματιστῇ* cogitarent, qui semel a Plinio commemoratur VI 61. cf. C. Müller Script. rer. Alex. Magn. p. 134 s. at nec de patria huius Diogneti constat neque credibile est in opere mere geometrico locum fuisse fabulis. contra Diogneti Erythraei primae partes sunt in fabella quadam Naxica, quae ab Aristotele Theophrasto Andrisco litteris mandata Polycrites, graecae alicuius Tarpeiae, patriae male amantis puellae fatum celebrabat. cf. Parthen. IX. Plutarch. de mul. virt. p. 254 C—F. Polyaen. VIII 36. iam cum memineris

---

quae coniectura vereor ut stare possit, quamquam ne ipse quidem traditam lectionem aut explicare sufficienter aut probabiliter sanare possum.

quantum Alexandrinae aetatis fabulatores epistolas amatorias in deliciis habuerint, concedes optime fieri potuisse, ut Andriscus vel quisquis fuit Diognetum Polycritae cupiditatem suam epistola data fatentem eaque occasione oblata fabulam illam commemorantem faceret, Hyginus autem Diognetum, quem in enchiridio aliquo mythologico invenisset, pro scriptore, non pro fabulae persona, haberet.

Non me fugit hanc disputationem tum demum absolutum iri, cum eodem modo in ceterorum librorum fontes inquisiverim. sed hoc munus nunc quidem in me recipere non possum. pusillo tamen quodam invento lectores fraudare nolo. Eudoxum secutus Aratus dicit de Genicularios:

v. 69 — *μέσσῳ δ' ἐφύπερθε καρήνῳ*
δεξιτεροῦ ποδὸς ἄκρον ἔχει σκολιοῖο Δράκοντος.

sed fallitur Eudoxus, nam sinistro, non dextro, pede Genicularius caput Draconis premit. v. Hipparch. p. 2 s. (Victorius.) Eratosthenes caute scripsit: *ὁ δ' ἐπιβεβηκὰς αὐτῷ τεθεικὼς τὸ ἓν γόνυ, τῷ δ' ἑτέρῳ ποδὶ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἐπιβαίνων.* Attalus Rhodius, ut Aratum ab erroris crimine tueretur, scribi iussit:

μέσσου δ' ἐφύπερθε καρήνου
δεξιτεροῦ ποδὸς ἄκρον ἔχει σκολιοῖο Δράκοντος.

v. schol. Arat. 69 p. 58, 29. Hipparch. p. 7. hanc autem ad lectionem respexit Hyginus, quamquam ceteroquin Eratosthenem secutus est. II 6 p. 41, 13 *sinistro pede capitis eius dextram partem opprimere conatur.* itaque aut Attalum Rhodium legerit aut illius coniecturam in exemplo suo invenerit necesse est. eandem agnoscit, sed aliter interpretatur scholiasta ad Arat. v. 69 p. 58, 30.

De Fabularum libro latius agere etsi ab huius disputationis consilio alienum sit, unum tamen est, quod silentio praetermittere nolim. nam cum Hyginus II 12 p. 46, 15 (= Catast. fragm. p. 131, 20) se de Graeis *in primo libro Genealogiarum* egisse indicet, huius operis, quod tres minimum libros complexum fuisse adparet, compendium esse eum, quem nos tenemus, Fabularum librum cum alii statuerunt tum Carolus Langius (de nexu inter Hyg. op. myth. et fabul. libr. Moguntiae 1865 p. 5) et Bursianus in eiusdem libelli recensione (Jahrb. f. class. Philol. 1866 p. 762); immo quod Dositheus[27]) in graecum transtulit Hygini opus fabularum libri, ut nemo nescit, simillimum genuinum hunc titulum, qui est *Genealogiae,* prae se ferebat. ad idem opus refero, quod Hyginus, ubi Aglaosthenis de piratis Tyrrhenis narrationem ex Catasterismis reddit, II 17 p. 57, 3 (= Catast. fragm. p. 161, 6) de Liberi nutricibus ita scribit: *a quibus eum nutritum et nos* (*nostri* libri) *in progenie deorum et complures Graeci dixerunt.* aliter sane visum est Bursiano, qui tradito illo *nostri,* quod ego Scheffero praeeunte in *nos* mutavi, servato de mythographis latinis sermonem esse arbitratur. at Romanos scriptores ab

---

[27]) V. Dosithei mag. interpret. lib. III ed. Boecking. Hygini fab. ed. M. Schmidt p. LIV *Μαξίμῳ καὶ Ἄπρῳ ὑπάτοις πρὸ γ' εἰδῶν Σεπτεμβρίου Ὑγίνου γενεαλογίαν πᾶσι γνώστην μετέγραψα.*

Hygino in Astrologia fere nusquam consultos esse iam supra indicavi idemque in Fabulas cadere dudum mihi persuasi, atque verissime monuit ipse Bursianus Hygini verba optime ad fabulam 182 referri posse, quae sane hodie non solum corruptissima pravisque additamentis inquinata est, sed etiam falso titulo *Oceani filiae* inscribitur. quae cum ita sint, et ea quae hodie in Fabularum fronte leguntur deorum stemmata, et fabulam 182 ceteraque quae in deorum liberis enumerandis versantur capita ex Hygini Genealogiis fluxisse certissimum esse videtur. neque tamen fabulae aut omnes aut maximam partem ex Genealogiis fluxisse possunt, cum multae occurrant, quibus in libro *κατὰ στέμματα* disposito locus non sit. quod cum recte animadvertisset Bursianus,[28]) statuit fabularum librum constare ex Genealogiarum epitome et fabulis ex variis operibus neque tamen Hyginianis a grammatico nescio quo magnam partem iam ante Dosithei aetatem additis. equidem quamquam in Fabularum libro multa inesse concedo, quae ab Hygino profecta non sint, tamen a Bursiano iudicium meum seiungo, cum ille vel maiorem Fabularum partem ab Hygino abiudicet. quod cur faciam, mox expositurus sum. nimirum Hyginus in Astrologia ter promittit se de aliqua fabula alio loco accuratius acturum esse; primum de Gorgone II 12 p. 46, 22 *de qua* (ita PRV. *quo* D alii) *alio tempore plura dicemus,* deinde de Phrixi arietis pelle aurea II 20 p. 59, 25 (= Catast. fragm. p. 125, 5) *de qua alibi plura dicemus,* denique de Diana XI 34 p. 73, 21 *sed quae post mortem eius* (scil. *Orionis*) *Diana fecerit, in eius historiis dicemus.* haec omnia Bursianus amovere studuit; et quod ultima verba, quae in calce narrationis de Orionis morte ex Istro descriptae leguntur, ex eodem Istro et ipsa ab Hygino inconsiderate translata esse censet, nihil habeo, quod contra dicam, immo optime hoc fieri potuisse libentissime concedo.[29]) plus difficultatis habent verba, quae primo loco posui; ex Euhemero descripta esse, qui paullo antea commemoratur, vix quisquam sibi persuadeat, cum summa tantum narrationis, non ipsa historia ex Euhemero adposita sit: *Euhemerus quidem Gorgonam a Minerva dicit interfectam.* Bursianus, quem haec difficultas non fugit, illud *qua* ad Minervam refert atque Hyginum eam, quam in sequenti capite II 13 p. 47, 6 s. (= Catast. fragm. p. 99 et 101) ex Catasterismis adpositurus erat, de Minerva Erichthonioque narrationem significasse putat. at quis non videt, quam artificiose hoc excogitatum sit? nonne prorsus ridicule Hyginus se *alio tempore* facturum esse diceret, quod

---

[28]) Neque tamen recte Bursianus id nimis premit, quod Fabulae neque inter se neque cum Astrologia semper accurate congruunt; cui rei in libro et ex variis auctoribus compilato et in fabulis congerendis versante nihil omnino tribuendum est. in propatulo est comparatio bibliothecae Apollodori.

[29]) Simile quid accidit II 30 p. 71, 2 s. = Catast. fragm. p. 129, 1, ubi legimus *Eratosthenes autem ex eo pisce natos hos dicit, de quo posterius dicemus;* nam extrema quoque verba ex Catasterismis reddita sunt fragm. p. 128, 3 *περὶ οὗ τὴν ἱστορίαν ἀποδώσομεν σαφέστερον, ὅταν ἐπ' αὐτῷ ἔλθωμεν.* cf. schol. Arat. v. 239 *περὶ οὗ ἐν τοῖς ἑξῆς ἐρεῖ.* attamen apte translata sunt, cum Hyginus et ipse postea II 41 de maiore pisce verba faciat. Dianae autem historiae in Astrologia post Orionis fabulam nullae leguntur; itaque, si verum vidisset Bursianus, Hyginus illo loco summa incuria egisse putandus esset.

paucissimis versibus interpositis facit? sed ut tam incredibilia credamus, nullo modo secundi testimonii auctoritas infringi potest: interponit haec verba Hyginus Arietis explicationi ex Catasterismis redditae; eidem explicationi alia quoque addit, quae cum ab Eratosthene aliena sint, Fabulae II accurate respondeant. v. Catasterism. fragm. p. 125 et Prolegomena p. 15. hinc igitur meo iure concludere mihi videor Fabulam II ab Hygino, non ab interpolatore quodam profectam et ex eodem mythographo graeco haustam esse, quem Hyginus tum quoque, cum Astrologiam conscriberet, passim consuluit. at si in Genealogiis haec fabula extitisset, Hyginus non *dicemus* scripsisset, sed *diximus*. his omnibus perpensis adparet eam quae in Fabularum libro de Phrixo legitur narrationem ad tertium aliquod Hygini opus referendam esse, quod cum Astrologiam componeret, non scripserat quidem, sed parabat. idem opus etiam ubi de Gorgona sermo est p. 46, 22 indicari satis confidenter, ubi de Diana p. 73, 21, dubitantius statuo. intelleximus igitur Hyginum ante Astrologiam Genealogias, post Astrologiam enchiridion mythologicum,[30]) quod in deorum heroumque historiis exponendis versaretur, composuisse, cui Fabulas titulum fuisse veri non est dissimile. utriusque operis compendium multis sane diversissimarum aetatum interpolationibus inquinatum Fabularum liber est, quem nos tenemus; sed iam satis antiquo tempore, altero nimirum post Christum saeculo exeunte, uterque liber propter argumenti affinitatem in unum conflatus esse videtur. nam Hygini Genealogia, quam Dositheus magister III Id. Sept. anni CCVII p. Chr. Apio et Maximo consulibus descripsit, quamque idem illa aetate omnibus notam esse adfirmat, et genealogias et historias coniunctas complectebatur.

De Hygini persona atque aetate Bursiano prorsus adsentior; diversus est ab Augusti liberto neque ante alterum p. Chr. saeculum vixisse potest, cum ne Catasterismos quidem ante illam aetatem in eam, quam Hyginus cognitam habet, formam redactos esse supra intellexerimus v. Prolegomena p. 35.

---

[30]) Leviori cuidam argumento in adnotatione saltem locus concedendus esse videtur. Phaethontis fabulam paullo latius exponit, quam apud Eratosthenem invenit. Astrol. II 42 (= Catast. fragm. XLIII p. 195, 19—22) *de quo complures dixerunt, ut patris inscienter e. q. s.* atqui eandem historiae formam ab Hygino etiam in Fabulis 152 prolatam esse iam intelleximus. itaque si Fabulae ante Astrologiam editae fuissent, Hyginus ni fallor hic quoque, sicut II 12 et 17, ad suum librum lectores relegasset et ita fere scripsisset: *de quo et alii complures et nos diximus.*

EPIMETRVM III.

DE NONNVLLIS ERATOSTHENIS IN CATALOGIS AVCTORIBVS.

Ipse Eratosthenes quo modo fontibus suis usus sit, iam indagandum est atque, num ex historiolis, quae sine auctoris nomine in Catasterismis feruntur, aliquae saltem ad auctores suos referri possint, videndum. sed in viro et ingenio et doctrina unice praecellenti, qui ex optimorum rarissimorumque librorum ampla copia fabulas circumspecto ingenio elegerit, quis non videt quantis hoc munus et difficultatibus obnoxium sit et periculis. cogita non de Hygino agi, sed de Eratosthene. atque accedit quod ipsius Eratosthenis sententia ab epitomatoribus saepius obscurata est nec semper constat, utrum iam veteres auctores an ipse demum Eratosthenes singulas fabulas ad singula sidera explicanda adhibuerit. in tot igitur tantisque dubitationibus satius videtur de eis, quorum saepius in Catasterismis mentio occurrit, auctoribus explicatius agere, simul vero quo tempore singula sidera Graecis innotuerint a quibusve fabulis originem deducant, quantum fieri potest, accuratissime exponere.

Agmen ducat Hesiodus; eius enim nomine *Ἀστρονομία* extabat, quae, quamquam ab Hesiodo plerique eam abiudicasse videntur, tamen inter carmina astrologica longe vetustissimum erat. commemoratur a Plutarcho de Pythiae oraculis p. 402 F. *οὐδ' ἀστρολογίαν ἀδοξοτέραν ἐποίησαν οἱ περὶ Ἀρίσταρχον καὶ Τιμόχαριν*[1]) *καὶ Ἀρίστυλλον καὶ Ἵππαρχον καταλογάδην γράφοντες, ἐν μέτροις πρότερον Εὐδόξου καὶ Ἡσιόδου καὶ Θαλοῦ γραφόντων* (l. *γεγραφότων*); praeterea ab Athenaeo XI p. 491 C, ubi cautius *ὁ τὴν εἰς Ἡσίοδον ἀναφερομένην ποιήσας Ἀστρονομίαν* commemoratur triumque versuum, qui de Pliadum vel ut illic vocantur, Peliadum occasu agunt, frustula adponuntur; ad eandem carminis partem respicit Plinius N. H. XVIII 213. denique in scholiis Arateis v. 172 et 254 quattuor versus, quibus Hyadum nomina enumerantur, servata sunt; exscripsit hoc scholium Tzetzes ad Oper. et Dies 382. Chil. XII 169. haec igitur de Pliadibus Hyadibusque fragmenta sola ex Hesiodi Astronomia diserte adferuntur. at alia quoque, quae Hesiodi nomine servata sunt, ad idem carmen editores fragmentorum Hesiodeorum rettulerunt, ea maxime, quae in Catasterismis extant: atque cum quater Hesiodus in Cataste-

[1]) De Timocharide et Aristyllo cf. schol. Arat. v. 269 p. 75, 39. Ptolemaeum Mathem. synt. VII p. 164. Haupt Op. III p. 361.

rismis commemoretur, quae sub Virgine IX leguntur, ea ex Theogonia v. 901 et Operibus v. 256, quo in versu *παρθένος* falsissime ad sidus Hesiodi temporibus prorsus ignotum referretur, deprompta esse dixi in adnotationibus ad Catasterismorum fragmenta p. 82. restant tres fabulae de Ursa maiore I (Cat. fr. p. 50), de Phrixi ariete XIX (ibid. p. 124), de Orione XXXII (ibid. p. 162). e quibus prima, si quae alia, mere sideralis fabula est; ut enim Ursam inde ab antiquissimis temporibus Graecis notam fuisse constat, ita Callistus[2]) historiam semper cum hoc sidere coniunctam fuisse neque quemquam de Callistone in Ursam mutata dixisse opinor, quin inter sidera eam relatam esse adderet. idem in Orionem[3]) cadit, immo ut Orion Scorpii ictu occisus esse diceretur, nihil aliud quam utriusque sideris in caelo positio causa fuit. neque hoc fugit Carolum Odofredum Müllerum, qui etiam priorem, quae in Aegaei maris insulis locum habet, fabulae partem ex sideris ortus occasusque temporibus praeclare derivavit in egregia de Orione disputatione, quae primum Musei Rhenani volumini II p. 1 s. inserta, tum in Opusculis II p. 113—133 repetita est. at quod idem Scorpionem Hesiodi aetate Graecis notum fuisse aut hanc de Orionis morte narrationem ante aetatem Alexandrinam ortam esse negat, id nullo modo a me impetrare possum, ut credam. quid? lucidissimum paene ac pulcherrimum totius sphaerae sidus, cuius splendor navigantium potissimum oculos vel invitos ad se convertit, cuius figurae singularitas, ut cum scorpione comparetur, ultro invitat, per tot saecula Graecos fugisse, donec eis a Chaldaeis simul cum ceteris signiferi signis ostenderetur? nec rectius Müllerus hanc duorum siderum ad unam historiam coniunctionem ab antiquissimorum temporum ingenio alienam recentiorumque lusum esse existimat. nam aliud certe est traditas siderum figuras ad certa poetarum commenta revocare, aliud ex ipsorum siderum aspectu fabulas creare. hoc fecerunt Hermippi et Hegesianactes, qui tabulam caelestem manibus tenentes carmina condiderunt eiusque figuris explicationem non

---

[2]) Hesiodus, cum Eratosthene teste Callistonem Lycaonis filiam fuisse narraverit, prorsus alia tradidisse fertur in Apollodori bibliotheca III 8, 2, 2. *Εὔμηλος δὲ καί τινες ἕτεροι λέγουσι Λυκάονι καὶ Θυγατέρα Καλλιστὼ γενέσθαι· Ἡσίοδος μὲν γὰρ αὐτὴν μίαν τῶν νυμφῶν λέγει, Ἄσιος δὲ Νυκτέως, Φερεκύδης δὲ Κητέως. μὲν γὰρ* particulae, de quibus dixi de Apollodori bibl. p. 62 adn. 7, probant re vera Apollodorum credidisse apud Hesiodum nec Lycaonem nec omnino quemqnam Callistus patrem dictum esse. quae difficultas tribus modis enodari potest. aut enim Apollodorus ad aliud Hesiodi carmen, in quo Callistus historia iterum narrata erat, respicit v. c. ad Catalogos, aut neglegentius excerpsit, id quod saepius ei accidit quam vulgo creditur, aut denique, id quod mihi maxime adridet, Eumeli et Hesiodi nomina inter se commutanda sunt.

[3]) Quae Diodorus IV 85 de Orione ex Hesiodo adfert, cur et ipsa in Astronomia locum habuisse nequeant, non adsequor cf. fragm. 186 (Marksch.) 210 (Kinkel.) nihil enim impedit, quin illic Orionis res uberrime narratas fuisse opinemur. quod autem Orion *εἰς Εὔβοιαν μεταναστῆναι κἀκεῖ κατοικῆσαι* dicitur, id, antequam Chium veniret, accidisse potest; nam statim cum in Euboea sedem constituisset, eum inter sidera relatum esse ne dicit quidem Diodorus. contra ex Sicilia in Euboeam, ex Euboea Chium migrare egregie convenit ei, cui Neptunus pater dederit, ut supra fluctus ambularet (id enim narraverat Hesiodus); nec minus Neptuni filium decet patri in Peloro promunturio templum dedicare. vides quam adposite Astronomiae fragmentum ab Eratosthene servatum Diodori narratione suppleatur.

sine elegantia ex litterarum monumentis repetierunt, illud ipsum populi Graeci ingenium, nascunturque tales fabulae, non inveniuntur neque componuntur. quare quod Orion Scorpionis ictu mortuus dicitur, eodem id referendum est, atque quod Homerus Ursam Orioni, venatori nimirum validissimo, insidiari (Σ 488 = ε 274 *καί τ' Ὠρίωνα δοκεύει*) et ipse Hesiodus Pliadas Oriona fugere[4]) dicit (Opera 619 *εὖ τ' ἂν Πληϊάδες σθένος ὄμβριμον Ὠρίωνος* || *φεύγουσαι πίπτωσιν ἐς ἠερο-ειδέα πόντον*). itaque si quae omnino in Catasterismis extant Astronomiae Hesiodeae reliquiae, hae duae certe fabulae illuc referendae sunt. quarum cum altera Arcadis i. e. Arctophylacis historia VIII (Cat. fragm. p. 74) tam arte coniuncta est, ut divelli nequeat, sed potius pro Hesiodea et ipsa habenda sit. contra ea, quae de Phrixi ariete ex Hesiodo Pherecydeque narrantur XIX p. 124, ex Astronomia[5]) deprompta esse nullo modo possunt, si quidem illa re vera ab Hesiodo profecta, quid dico? si ante sextum saeculum condita est. nam Arietis sideris mentionem in litteris graecis ante Cleostratum Tenedium non extitisse Plinii diserto testimonio N. H. II 31 constat. ac fuerunt sane qui Astronomiam Alexandrina demum aetate a falsario compositam esse putarent; e quibus praeter ceteros nominandi sunt Carolus O. Müllerus (Prolegomena ad Myth. p. 193) et Markscheffelius (Hesiodi etc. fragm. p. 196). at ne tum quidem Aries in illa commemorari poterat, nisi forte stolidissime simul atque inscientissime falsarium egisse miraque credulitate illius aetatis homines praeditos fuisse tibi fingis. sed nulla adhuc idonea prolata est causa, cur tam recenti aetati hoc carmen tribuamus. immo conclamatum illud Callimachi epigramma XXIX Schneid. (Anth. Pal. IX 507), quod Arati Phaenomenis inscriptum fuisse hodie inter omnes constat:

Ἡσιόδου τό τ'[6]) *ἄεισμα καὶ ὁ τρόπος· οὐ τὸν ἀοιδῶν*
ἔσχατον, ἀλλ' ὀκνέω μὴ τὸ μελιχρότατον
τῶν ἐπέων ὁ Σολεὺς ἀπεμάξατο. χαίρετε λεπταί
ῥήσιες, Ἀρήτου σύμβολον ἀγρυπνίης,[7])

quamquam posse ad Opera respicere non negaverim, aptius tamen ad astronomicum aliquod, quod Hesiodi nomine ferebatur, opus referri contendo. neque inlepida est Bergkii coniectura (Griech. Literargesch. I p. 1010) Astronomiam Operibus adnexam

---

[4]) In nuce hic habes, quod recentiores poetae velut Sminthes et Pindarus variis modis exornaverunt. cf. supra p. 42 et p. 136 s.

[5]) Ad Astronomiam id fragmentum ideo maxime rettulit Markscheffelius, quod in scholiis Strozzianis p. 142, 8 ab his verbis incipit: *Arietem namque, ut Hesiodus et Pherecydes dicunt, inter astra conlocatum propter Phrixum et Hellen.* at de horum scholiorum auctoritate quid iudicandum sit post ea, quae in Epimetro primo disputavimus, neminem fugiet. ex Epitome melioribusque testibus nihil efficitur nisi Hesiodum arieti pellem auream tribuisse. cetera num ex Hesiodo an ex Pherecyde sint deprompta, ex Eratosthenis verbis diiudicari nequit.

[6]) *τό τ'* Blomfieldius. *τό δ'* liber.

[7]) Recepi Ruhnkenii coniecturam. *σύντονος ἀγρυπνίη* liber. alii alia excogitaverunt, quae vide apud editores.

circumlatam esse.[8]) quod vero idem Bergkius Pherecydem hoc carmine usum esse dicit, id ille mihi quidem ex Hyadum nominibus quae eadem apud utrumque sunt (v. Catalog. fragm. III p. 42. Catasterism. fragm. p. 106 Hesiod. fr. 181 Marksch.) recte conclusisse videtur, neque tamen idoneum argumentum est, cum adversarii pari iure falsarium Pherecydis scripta compilasse contendere possint. quare donec fortiora argumenta adferantur, tenemus Astronomiam Hesiodeam a ceteris, quae Hesiodi nomine extabant, carminibus tempore non nimis distare carminumque astronomicorum longe vetustissimum esse. neque in fragmentis, quae aut carmine illo diserte nominato adferuntur aut a nobis illuc relata sunt, si Scorpionem, de quo iam locuti sumus, excipias, ullum est, quod non Hesiodi aetate notum fuisse constet, immo ab ipso Hesiodo alibi commemoretur. sunt autem haec: Hyades (181 Marksch. 12 Kink. cf. Oper. 615), Pliades (179. 180 Marksch. 9—11 Kink. cf. Oper. 383. 572 et passim), Ursa maior (182 Marksch. 13 Kink.), Arcturus (v. supra et Catast. VIII cf. Oper. 566. 610), Orion (185. 186 Marksch. 15 Kink. cf. Oper. 598. 609 et passim). denique vix monendum est non tantum fabulis in hac Astronomia tributum fuisse, quantum visum est Markscheffelio p. 195; sed de ortu potius occasuque paucorum, quae tum nota erant, siderum actum esse. iam vero, opinor, luce clarius factum est, falsissime Phrixi historiam, quae in Catasterismis ex Hesiodo narratur, a Markscheffelio et Kinkelio ad Astronomiam referri (183 Marksch. 14 Kinkel); ei potius in Catalogis aut Eoeis suus locus est; ego ad Eoeas referre malo, in quibus Phrixi res latius expositas fuisse ex compluribus fragmentis discimus (160. 161. 165 Marksch. 162. 163. 167 Kink.). nec minus falso Phaethontis fabulae,[9]) quam integriorem in Epimetro primo p. 214 s. ex scholiis Strozzianis enucleavimus, vulgo in Astronomia locum adsignant (184 Marksch. 16 Kinkel), cum sidus quod Eridanus audit tam antiquo tempore notum fuisse nec tradatur nec probabile sit. itaque illa quoque aut ad Catalogos aut ad Eoeas referenda est.

Venio ad Musaeum,[10]) ex quo duae historiae depromptae sunt, de Hyadibus una XIV (Cat. fragm. 110, 11), altera de Amaltheae capra XIII (Cat. fragm. p. 100—103); primum autem moneo alteram fabulam totam (p. 100, 23 — 102, 26), non priorem tantum eius partem, ut putaverunt Koppiersius Heynius Kinkelius alii, ad Musaeum referendam esse. nam et finis fabulae cum praecedentibus optime cohaeret et in ipsa calce Musaei versus frustulum illud *αἰγίοχος κικλήσκεται ἀνθρώποισιν* servatum est, quod inter fragmenta recipere omnes neglexerunt. nec Lactantius, qui I 21 hanc fabulam ex scholiis in Germanicum exscripsit, dubitavit, quin tota a Musaeo profecta esset; cuius verba Kinkelius non debebat tamquam novum fragmentum adlegare (17), sed potius una cum Eratosthenis narratione (7)

---

[8]) Ex eis igitur esset, quae Pausanias IX 31, 4 significat *καὶ ὅσα ἐπὶ Ἔργοις τε καὶ Ἡμέραις*. eodem *Ὀρνιθομαντείαν* pertinere Proclis testimonio ad Hes. Op. 826 constat.

[9]) Hic quoque Markscheffelii iudicium scholiorum Strozzianorum verbis turbatum est.

[10]) Musaei fragmenta congesserunt Passow Musaeos p. 60—88, Kinkel Epicorum fragmenta p. 218 — 230.

adscribenda erant. audio mirari quosdam, quod Musaeus Amaltheae capram pro Solis filia habuerit; quod cur mirentur idque in poeta, qui se ipsum pro Lunae filio vendiderit, prorsus non adsequor. nam quod Hyginus scribit *nonnulli etiam Aega Solis filiam dixerunt,* solemnis huius scriptoris sive error est sive loquendi formula. Hyadum historia ad *Θεογονίαν* recte relata est; alteri, quae Iovis pueritiam bellumque Titanis inlatum inlustrat, debitus locus est in *Τιτανομαχίᾳ*. sed omnino hoc carmen, quod semel tantum in scholiis ad Apollonium *Γ* 1179, ubi perperam *Τιταναγραφία* legitur, commemoratur, nihil aliud esse quam Theogoniae partem recte suspicatur Passowius (Mus. p. 49). Hyadum Pliadumque historia, si qua alia, mere sideralis est; cuius primordia iam in Hesiodi Operibus v. 383 habes, ubi Pliades *Ἀτλαγενεῖς* audiunt; Capram quoque iam in Musaei carmine inter sidera relatam esse neque adfirmare ausim neque negare. id certum est, cum Cleostratus Haedis nomen inderet, iam ante eius aetatem Capram notam fuisse; itaque Onomacritus vel, quisquis alius Musaei personam mentitus carmen illud condidit, huius sideris notionem habere optime potuit. denique non reticendum est, Musaeo a Diogene Laertio praeter Theogoniam etiam Sphaeram tribui prooem. 3 *καὶ τὸν μὲν Εὐμόλπου παῖδά φασι, ποιῆσαι δὲ θεογονίαν καὶ σφαῖραν πρῶτον,* sive in ipsa Theogonia sive in peculiari carmine latius de sideribus actum erat.

Epimenides semel in Catasterismis nominatur XXVII (Cat. fr. p. 148); sed eundem etiam V (Cat. fr. p. 66) significari, ubi *qui Cretica conscripsit* adlegatur monui in Prolegomenis p. 8. itaque et Capricorni historia p. 148. 149, 1—22 et Bacchi Ariadnesque amores p. 66. 67, 17 — 68. 69, 4 ex Epimenide hausta sunt. adparet autem eundem librum esse, quem Diodorus in rebus Creticis enarrandis V 64—80 praeter Dosiadis, Sosicratis, Laosthenidae opera adprime consuluit. Diod. V 80. *τοῖς γὰρ τὰ πιθανώτερα λέγουσι καὶ μάλιστα πιστευομένοις ἐπηκολουθήσαμεν, ἃ μὲν Ἐπιμενίδῃ τῷ θεολόγῳ προσσχόντες, ἃ δὲ Δωσιάδῃ καὶ Σωσικράτει καὶ Λαοσθενίδᾳ.*[11]) nam etsi Diodorus consuetudine sua omiserit alia, alia variarit, tamen quae narrat cum fragmentis Epimenideis, quae apud Eratosthenem extant, bene conspirant: Capricorni historiae locus erat inter ea, quae Diodorus cap. 70 et 71 de Iovis pueritia[12]) narrat. et cum Diodorus V 79, 1 Oenopionem Bacchi et Ariadnes filium commemoret, par est in eo quem exscribit libro Bacchi Ariadnesque amores enarratos fuisse. Epimenidis igitur theologi *Κρητικὰ* cum carminibus, quae Epimenidis Cretis celeberrimi vatis sacerdotisque nomine ferebantur, summa argument isimilitudine coniuncta sunt. Epimenidi Cretensi a Diogene Laertio I 10 tribuuntur *Κουρήτων καὶ Κορυβάντων γένεσις καὶ θεογονία* versuum complexa quinque milia et *περὶ Μίνω καὶ Ῥαδαμάνθυος* carmen versuum complexum

---

[11]) Laosthenidas nusquam alibi commemoratur. itaque nescio an restituendum sit *Ἀγλαοσθενίδᾳ*. Aglaosthenem enim in Naxicis de Iovis pueritia latius egisse, ipsa ea quae in Catasterismis extant fragmenta docent. vide Cat. fragm. II p. 56. XXX p. 156. ceterum cf. infra.

[12]) Inter Epimenidis et Musaei narrationes praeter alias haec quoque intercedebat discrepantia, quod hic ipsam Amaltheam capram fuisse (Diod. V 70, 3), ille Amaltheam nympham capram aluisse (Cat. fragm. XIII p. 102) finxit. cf. etiam p. 226 adn. 11.

milia quattuor, quod haud dubie cum Theogonia arte cohaerebat. atque *Κουρήτων γένεσις* a Diodoro V 65 latius exponitur inde a verbis *μετὰ δὲ τοὺς Ἰδαίους Δακτύλους ἱστοροῦσι γενέσθαι Κούρητας ἐννέα;* quibuscum Titanum, utpote qui Curetum aequales fuerint (Diod. V 66), historia conexa est; *Κορυβάντων γένεσις* iam, ubi de Samothrace agitur V 49, praecepta est; omnino autem totam hanc libri quinti particulam inde a capite LXIV usque ad LXXVII 3 aptissime *Θεογονίαν* vocare possis, id quod ipse Diodorus non obscure significat, cum ad alia transiturus in calce totius disputationis ita scribat: *περὶ μὲν οὖν τῶν θεῶν οἱ Κρῆτες τῶν παρ' αὐτοῖς λεγομένων γεννηθῆναι τοιαῦτα μυθολογοῦσιν.* similiter carmini *περὶ Μίνωος καὶ Ῥαδαμάνθυος* conscripto capita LXXVIII et LXXIX respondent, quae incipiunt a verbis *μετὰ δὲ τὰς τῶν θεῶν γενέσεις ὕστερον πολλαῖς γενεαῖς φασὶ γενέσθαι κατὰ τὴν Κρήτην ἥρωας οὐκ ὀλίγους, ὧν ὑπάρχειν ἐπιφανεστάτους τοὺς περὶ Μίνω καὶ Ῥαδάμανθυν καὶ Σαρπηδόνα.*[13]) hic igitur consensus ita comparatus est, ut Diodorum aut ipsa Epimenidis carmina aut paraphrasin eorum pedestri sermone conscriptam legisse necesse sit, qualem v. c. Eumeli carminum extitisse quam maxime veri simile est. id autem ante omnia tenendum est Diodorum sibi Epimenidis Cretensis verba legere visum esse, non genealogum, quem solus Diogenes Laertius I 10, 13 ex Demetrio Magnete commemorat, ad quem non satis certa ratione et schol. Pind. Ol. I 127 et schol. Eur. Phoen. 13 referunt. sed Diodorus cum Epimenidem *θεολόγον* vocet, manifestum est vatem Cretensem Theogoniae auctorem significari. at omnino cur ipsa carmina Epimenidea ab Eratosthene aut a Diodoro lecta esse negemus, nulla omnino inveniri potest causa. contendunt sane Eratosthenis verba *ὁ τὰ Κρητικὰ ἱστορῶν* de poeta parum apte dicta esse, at fugit eos idem verbum ab Eratosthene vel de Sophocle adhiberi: Cat. fragm. XVI p. 116 *ταύτην ἱστορεῖ Σοφοκλῆς ὁ τῆς τραγῳδίας ποιητὴς ἐν Ἀνδρομέδᾳ κτλ.* XXXVI p. 176 *ἱστορεῖ δὲ ταῦτα Σοφοκλῆς.* iniuria igitur nuper Kinkelius ea, quae apud Eratosthenem et Diodorum servata sunt, fragmenta ex Theogoniae reliquiis exemit. ceterum Theogoniam re vera ab Epimenide profectam esse, ut nuper suspicatus est Carolus Schultessius,[14]) nullo modo a me impetrare possum ut credam. imprimis enim Capricorni historia, si quidem recte a me ad Theogoniam relata est, scrupulum movet; is enim, qui apud Epimenidem Aegipanis[15]) et Caprae filius Iovis-

---

[13]) Nonnulla sane ex his etiam ad Ephorum referri possunt, qui cap. 64 nominatur; atque de Minoe quoque ille, ut ex Strabone X p. 476 discimus, similia prodidit, ac Diodorus cap. 78; sed ea tamen intercedit non levis profecto discrepantia, quod apud Ephorum Minos post Rhadamanthyn, apud Diodorum Rhadamanthys post Minoem rerum potitur.

[14]) Vide C. Schultess de Epimenide Crete Gottingae 1877, qui cum de Epimenidis vita ac persona non sine bono fructu disseruerit, in ea quae ad Epimenidis scripta pertinet parte utpote a disputationis consilio alieniore non eadem diligentia egit. nam quod Diodorum librum aliquem pedestri sermone conscriptum *περὶ τῆς ἐν Κρήτῃ πολιτείας*, qui Epimenidi a Diogene Laertio adscribitur, compilasse putat, vellem explicasset quomodo factum esset, ut in illo libro Diodorus nihil praeter fabulas inveniret. Eratosthenem autem Schultessius plane neglexit.

[15]) Recte quidem animadvertit Vaterus huic Epimenidis narrationi repugnare, quod in alio fragmento eidem poetae tributo Pan et Arcas Iovis ex Callisto filii fuisse dicuntur; servatum

que in Ida sodalis est, tam singularis tamque rarae memoriae persona est, ut ad sideris figuram explicandam inventus esse videatur. fac igitur Theogoniae auctorem nihil omnino de sidere dixisse; tamen sidus illa aetate notum esse oportebat, ut Capricornus in fabulam induceretur. id autem ante quintum saeculum innotuisse neque ullo testimonio constat nec satis probabile est. itaque *Κρητικά*, quo titulo cum Theogoniam tum *περὶ Μίνωος καὶ Ῥαδαμάνθυος* carmen comprehensa fuisse arbitror, non ante quintum saeculum a falsario condita fuisse statuo, sicut aliud quoque quod Epimenidis nomine ferebatur carmen, *Τελχινιακὴν ἱστορίαν*, a Teleclide nescio quo conscriptum esse iam veteres contenderunt. cf. Athen. VII p. 282 E.

Pisandri Panyasidis Aeschyli testimonia ad fabulas pertinere, non ad sidera verissime statuit Carolus O. Müllerus Prolegom. p. 199 s. idemque in plerosque scriptores qui Arato superiores sunt cadere veri simillimum est. certe e poetis solus Amphis fabulam vere sideralem, quae est de Sirio protulit. v. Cat. fragm. XXXIII p. 168; immo in ea quoque fabula, ex qua Callistus historia deprompta est, sidus, quod Ursa maior vocatur, commemoratum fuisse arbitror. denique aperte ad sidera respexit Aglaosthenes, de quo paullo accuratius dicendum est.

Aglaosthenes igitur, qui *Ναξικά* historicum opus, in quo Naxicorum res inde ab antiquissimis temporibus enarratae erant, composuit, quo tempore vixerit non constat. commemoratur ab Athenaeo III p. 78 C, a Plinio IV 66, a Polluce IX 83, fortasse etiam in scholiis ad Lycophronem 704 et 1023. cf. C. Müller F. H. G. IV p. 293 s. eundem a Diodoro in rebus Creticis enarrandis adhibitum esse supra conieci p. 241 adn. 11. ex Aglaosthene igitur Eratosthenes praeter piratarum Tyrrhenorum historiam (Cat. fr. XXXI p. 161) quattuor has narratiunculas sumpsit: II p. 56, 12—22 de Cynosura Iovis nutrice, III p. 62, 1—14 de Iove puero in draconem mutato, XXX p. 156, 13—26 de aquila, quae Iovi contra Titanas profecturo auspicium fecisse dicitur, XXXIX p. 182, 1—25 de ara, in qua Iupiter eodem tempore sacrificavit. nam quamquam secunda et quarta narratio sine auctoris nomine adferuntur, tamen cum alteris duabus tam arte cohaerent, ut et ipsas ad Aglaosthenem redire manifestum sit. cf. Prolegomena p. 8. quattuor autem hae fabulae procul dubio in Aglaosthenis Naxicis unam narrationem efficiebant, cuius in fine narratum erat Iovem sidera illa pueritiae suae monumenta reddidisse. quis enim non videt totam illam de Iove in draconis figuram mutato narrationem eo spectare, ut explicetur, cur draconis sidus in caelo duabus Ursis cincta sit? ceterum Ursas Iovis nutrices esse iam Aratus adfirmat v. 30—37; sed cum Serpentem Iovis imaginem esse non addat, aut ignoravit hanc fabulam aut neglexit; fortasse Ursas nutrices Iovis esse vetus populi opinio ferebat, quae exornata et lepide explicata est ab Aglaosthene.

Difficillima quaestio est de Euripide; nam cum ceteroquin ad fabulas tantum commemorationem eius pertinere libenter concedam, scrupulum movent ea sidera,

---

est id fragmentum in scholiis ad Rhesum 36 et ad Theocritum I 3. sed mera coniectura id ad Theogoniam referunt, cum *Ἐπιμενίδης ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτοῦ* commemoretur, ita ut eodem iure ad Oracula aut ad *Καθαρμούς* aut denique ad Argonautica referre possimus.

quae Andromedae fabulam in caelo repraesentant: Cepheus, Cassiepia, Andromeda, Perseus, Cetus; nimirum in his sideribus, quod est rarissimum, una interpretatio eaque e fabulis petita ita invaluit, ut non solum nulla alia explicatio unquam prolata sit, sed etiam sidera non ab eis, quas deformant, figuris, sed e mythologia nomina ceperint. vel hinc concludas eam explicationem satis antiquo tempore ortam esse, certe ante Euripidis aetatem, ita ut illum iam sidera, quibus haec nomina tributa essent, novisse admodum probabile sit. optime igitur fieri potuit, ut Minerva, quae in fine fabulae ab Euripide inducitur, Perseo ceterisque promitteret, fore ut eorum omnium imagines in caelo conlocarentur. cf. quae dixi in Diario archaeol. 1878 p. 19s.

Andromedae eorumque quae cum illa coniuncta sunt siderum mentio monet, ut pauca de siderum et notitia et explicatione apud Graecos addam; non quo difficillimas quae hac in re se offerunt quaestiones tam brevi disputatione solvi posse confidam aut nova prorsus neque ab aliis aut prolata aut tacite intellecta adlaturus esse mihi videar, sed quod hunc librum in stellarum fabulis maxime versantem neque carere hac disputationis parte neque aptius concludi posse arbitror. sed et brevissimus ero et eis maxime utar, quae Buttmannus in Academiae Berolensis dissertationibus 1826 p. 19 et Carolus O. Müllerus in Prolegomenis ad Mythologiam p. 191 egregie disputaverunt.

Homeri igitur aetate haec sidera nota fuisse constat: Ursam maiorem, Booten, Orionem, Sirium, Pliadas, Hyadas. Σ 486—489. ε 272—275. quibus ego supra addendum esse conieci Scorpionem. ad haec fere sidera spectant quae quidem in populo de stellis natae sunt fabulae omnes; ita autem natae sunt, ut primum singula sidera certae alicui rei compararentur, tum singula sidera inter se coniungerentur. velut clarissimum omnium siderum, quod nos Ursam maiorem vocamus, ab aliis ursae, ab aliis plaustro comparatum esse, ab aliis denique propter figurae flexuram *Ἑλίκην* nominatum esse nemo est qui nesciat. at qui Ursae comparabant, stellam illam lucidissimam, quae in caelo Ursam sequitur, huius Ursae custodem esse arbitrati *Ἀρκτοῦρον* vocarunt, qui plaustro, pro bubulco habuerunt Bootenque nominaverunt. nam Arcturum sive Booten apud Homerum Hesiodumque stellam esse, nondum totum sidus manifestum est. Hesiod. Op. 565 *δή ῥα τότ' ἀστήρ || Ἀρκτοῦρος προλιπὼν ἱερὸν ῥόον Ὠκεανοῖο κτλ.* postea demum cum maxima illa stella aliae stellae minores ad idem sidus coniunctae sunt, cui sideri, cum stella illa hominis nomen haberet, etiam hominis figura tributa est. similiter Sirium stellam Orionis clarissimi venatoris[16]) canem esse finxerunt ipsumque Orionem modo ab Ursa peti modo Pliadas persequi modo a Scorpione occidi fecerunt. cetera sidera quo ordine aut quibus temporibus singula Graecis innotuerint, difficillima ac vix enodanda quaestio est. de perpaucis enim constat. Ursae minoris notitiam Phoenicibus deberi saepius traditur neque est cur huic memoriae fidem derogemus. immo

[16]) In transcursu moneo Cephalum nihil aliud esse quam Orionem Atticum; nimirum ut ille, hic quoque ab Aurora rapitur; ex qua cum Phosphorum genuisse dicatur, totam fabulam in stellarum ortu occasuque niti manifestum fit. accedit, quod Cephalo non secus quam Orioni canis est immortalis, quam ad Sirium iam veteres mythographi rectissime rettulerunt.

egregie confirmatur altero Ursae minoris nomine quod est *Φοινίκη*. tertium eiusdem sideris nomen *Κυνόσουραν* a figura, quae canis caudam deformare videtur, petitum esse recte statuit Buttmannus. invaluit tamen Ursae nomen, quod sidus et supra alteram Ursam positum est et in arte navali mox illius locum occupavit. quod Hyginus II 2 p. 33, 9, Parmeniscum, ut supra conieci, secutus, Thaletem id nomen sideri primum indidisse adfirmat, ad carmen astronomicum, quod Thaletis nomine ferebatur, referendum esse videtur. v. Plut. de Pyth. orac. p. 402 F. Cleostratum Haedos Arietem Sagittarium invenisse et notasse iam saepius monui; unde necessario concludendum est Capram iam antea notam fuisse; sed omnino haec tria sidera nec splendore neque figurae singularitate praecellunt, ita ut eo tempore, quo nomina ceperunt, lucidiora praestantioraque sidera omnia iam nota fuisse necesse sit. an credi potest Arietem prius quam Perseum aut Cassiepiam inventum esse? Euctemonem Aquarium, Sagittam, Aquilam, Delphinum, Lyram, Scorpionem, Equum commemorasse Gemini testimonio (*Εἰσαγωγή* 16) constat; sed cave ne inventa quoque ab eo esse putes. Coronam Pherecydes commemorasse videtur eamque ad Ariadnam rettulisse. v. Pherecydis fragm. 106 (schol. Od. λ 320). omnino ex eis, quae instrumenta humana deformant, sideribus Lyram et Coronam longe vetustissima esse puto. quae cum primum propter figurae singularitatem proprietatemque denominata essent, mox ad fabulas referri coepta sunt. idem cadit in ea, quae animalia repraesentare videbantur sidera, Taurum dico, Equum, Arietem, Leonem, alia, de quibus conferendus est Buttmannus l. c. sed quid statuemus de eis, quibus forma humana tributa est, sideribus? primo obtutu adparet duas hic distinguendas esse classes; nam aut heroum nomina sidera prae se ferunt aut hominem quem libet singulari quodém habitu vel statu efficere videntur; ad alteram classem, quae multo maior est pertinent Genicularius (IV), Ophiuchus (VI), Arctophylax (VIII), Virgo (IX), Agitator (XIII), Aquarius (XXVI), Capricornus (XXVII), Sagittarius (XXVIII), fortasse etiam Gemini (X). duplex autem, nisi egregie fallor, harum figurarum esse potest origo. aut enim primum una tantum stella nomen capit modo ex eo, quem in caelo occupat loco, modo ex lucis splendore coloreque; tum aliae stellae cum ea coniunguntur, ut figura humana deformetur; factum id esse videtur, ut supra monui, in Boote; simile quid fortasse in Geminis accidit, quod nomen primum duabus stellis, tum sideribus, quibus utraque earum cincta est, tributum esse adparet; aut non una primum stella nomen cepit, sed totum sidus simul constitutum ac denominatum est. quod cum non tam a populo vel a poetis quam a mathematicis in sphaera delineanda fieri consentaneum sit, haec sidera et minus nota erant neque statim ad mythologiam relata sunt. carent igitur mythologica explicatione magnam partem vel in Arati Phaenomenis. contra Alexandrini poetae, Hermippos dico et Hegesianactes, in his potissimum sideribus lepide interpretandis ingenium suum exercuerunt. atque haec de altera classe sufficiant. toto caelo ab ea distat classis prior, quae praeter Orionem Pliadas Hyadas totam illorum siderum familiam complectitur, quae ad Andromedae historiam spectant. Hyades et Pliades ab initio sidera sunt neque alio consilio in fabulas inducuntur quam ut sidera explicentur.

idem in Orionem cadere mihi quidem dudum persuasum est; cuius nomen utut explicandum est, id certe mihi satis exploratum esse videtur fabulas de Orione prius narrari non potuisse, quam sidus constitutum et nominatum esset. restant Andromeda, Perseus quaeque cum eis coniuncta sunt sidera, a quibus tota haec disputationis nostrae pars profecta est. atque quis crediderit unius poetae eiusque hodie prorsus oblitterati auctoritatem tantum valuisse, ut his sideribus aut ignotis antea aut certe aliter denominatis haec nomina inderet, quae inde ab illa aetate sola obtinuerunt? iterum atque iterum monendum est idem praeterea in uno Orione accidisse. neque tamen credibilius est iam quinto aut vel sexto saeculo populi graeci ingenium ita lusisse, ut e variorum siderum nominibus fabulam sibi componeret. et fabulam et siderum nomina simul ex Asia inlata esse opinatur Buttmannus. quod de Cassiepia concedendum esse videtur, de ceteris dubito; dicam igitur aperte, quod sentio. duo ex hac siderum familia iam satis antiquis temporibus nota fuisse suspicor, ea nimirum, quae et splendore et figura ceteras longe praecellunt, Perseum dico et Cassiepiam. e quibus Perseus id proprium habet, ut ab heroe nomen ceperit, quod similiter factum est in Dioscuris, praeter quam quod illa sideris explicatio vulgarissima quidem, neque tamen sola est. contra Cassiepiae nomen utrum a sidere ad heroidem an ab heroide ad sidus translatum sit, diiudicare non ausim; id constat nomen de Phoenissis semper mulieribus adhiberi. nam praeter Andromedae matrem etiam Phoenicis uxor ita nuncupatur, quae modo Phinei (schol. Apoll. *B* 178) modo Atymnii (Apollod. III 1, 2, 3) modo Europae (Eustath. Il. 989, 35) mater est. atque postquam Andromedae historia Graecis innotuit, quam saeculo sexto exeunte notam fuisse alibi evici, sed vel ab Alcmane[17]) narratam fuisse Wilamowitzius meus me docuit, cum sidere, quod Perseus dudum vocabatur, alia sidera coniuncta sunt, quae Andromedam, Cepheum, Cetum esse finxerunt. ac fortasse tum demum Cassiepia, quae ab initio Phoenicis uxor est, pro Andromedae matre Cephei uxore habita est. atque haec sunt quae de siderum historia adferenda esse putavi specimina.

Aratum opinor ut de sideribus scriberet praeter Antigoni iussum imprimis Stoicorum, quorum disciplinae illum deditum fuisse constat, illud movit *καλὸς δὲ ὁ κόσμος· δῆλον δ' ἐκ τοῦ σχήματος καὶ τοῦ χρώματος καὶ τοῦ μεγέθους καὶ τῆς περὶ τὸν κόσμον τῶν ἀστέρων ποικιλίας ..... ἐπιτελεῖ τὸ κάλλος τοῦ κόσμου καὶ τὰ φαινόμενα ..... ἐλάβομεν δ' ἐκ τούτου ἔννοιαν θεοῦ.* (Plut.) de plac. p. 879 F. vix dici potest, quanto opere Arati carmine cum aequales tum posteri delectati sint; neque est qui ignoret, quo studio in imitando Arato Alexandrini poetae, in vertendo Romani elaboraverint. pauci sciunt vel ad artem vim eius pertinuisse. tantum enim auctoritas eius valuit, ut, cum singula poeseos genera inter singulas Musas dividerentur, etiam epos astronomicum peculiarem suam praesidem acciperet, quamque nomen ultro destinabat, Urania Musa fieret

[17]) Alcman fr. 72 Bergk (Cramer An. Ox. I 159, 30) *ἦσκέ τις Καφεὺς ἀνάσσων; σκαφεὺς* codex. corr. H. Neumannus, Wilamowitzii discipulus.

Arati.[18]) praeterea pictores ex fabulis sideralibus argumenta repetivisse iam in Prolegomenis p. 4 adn. 7 uno certe exemplo ostendi; ac fortasse etiam pictura Herculanei eruta, in qua Cupido Iovi nescio quid digito indicans repraesentatur (Helbig 113), ad Phaenontis fabulam referenda est. v. Catast. fragm. XLIII p. 194. 195. quid quod singularis aliqua parietis Herculanensis figura, qua in explicanda interpretes frustra desudaverunt, nullo alio modo nisi ex sphaera caelesti intellegi potest. in basilica Herculanensi[19]) egregia pictura inventa est, quam post alios optime inlustravit atque ad Augam Euripidis referendam esse ostendit Wilamowitzius meus in Analectis Euripideis p. 188 v. Helbig 1143. Hercules pictus est Telephum a cerva nutritum inveniens, Arcadia praesente, divina figura, et Satyrisco; haec omnia primo obtutu perspicua sunt. sed adest altera mulier alata, longa veste rubra induta, manu sinistra spicas tenens, quae ex rupe prospectans Herculi puerum indicat: huius nomen quaerendum est. de Victoria non debebat Wilamowitzius cogitare; nam illi spicae vix conveniunt. est autem habitus huius figurae prorsus idem, quem Virginis sideri astrologi tribuunt. nam *Παρθένος* et ipsa alas habet, longam tunicam portat, manu sinistra spicas tenet. v. Catast. fragm. IX p. 84. iam cogita Herculem filium suum in Parthenio monte repperire. omnia, opinor, plana sunt: pictor non sine elegantia, ut Parthenium indicaret, *Παρθένον*, quam eius montis deam esse aut ipse finxerat aut apud poetas Alexandrinos legerat, repraesentavit. quae explicatio cum mihi certissima esse videatur, num similis quaedam figura, quae in nonnullis parietibus Pompeianis picta est, eodem modo interpretanda sit, in medio relinquere debeo. adest haec figura Adonidi nascenti (Helbig 1390), fortasse eidem vulnerato (Helbig 331), spectat puellam illam piscentem, cuius adhuc nomen ignoratur quamque pro Venere vix recte nonnulli habent (Helbig 354. 353?). alas semper habet longaque tunica vestita est, semel nimbo insignis est; sed desunt spicae. Helbigius, qui mira quadam constantia hanc figuram *Σκοπιὰν* alatam vocat, vix causam proferre poterit, cur scopulo alae tribuantur. atque ne pro Virgine habeamus, praeter alarum defectum id imprimis prohibere videtur, quod nulla earum, cui interest, historiarum in Parthenio locum habet; contra cum reliquus habitus tum nimbus Virgini unice convenit; quae si re vera

---

[18]) Fugit hoc Adolphum Trendelenburgium, qui cum ceteroquin de Musis egregie disputaverit (Der Musenchor. Berliner Winckelmannsprogr. 1876) in eo fallitur, quod Uraniam in universum studiis astronomicis praecesse opinatur, ipse tamen miratus huic uni Musae nihil cum poesi commune esse; quam difficultatem ita, ut supra factum est, tolli vir doctissimus et confitebitur, opinor, et gaudebit.

[19]) In basilica hanc picturam inventam esse cum antiquissimi testes adfirmant Cochinius et Bellicardius (observ. sur les antiquités d'Herculanum Paris 1757 p. 18 tum Carolus Iusti (Winckelmann II p. 194). praestantissimae igitur huius aedificii picturae erant Hercules Telephum inveniens et Theseus Minotauri victor (Helbig 1214). Hercules ut Herculanei conditor patronusque celebratus est; cum quo Theseus compositus primum quidem propter solemnem utriusque herois consociationem, deinde vero ni fallor Creticus mythus ideo delectus est, quod M. Nonius Balbus, qui basilicam aedificandam curavit, necessitudine quadam cum Cretensibus coniunctus fuisse videtur. v. Mommsen Inscript. regni Neap. 2405—2409.

hac figura reddatur, non locum indicet, sed aliud quid significet, quod fortasse ex Arati narratione elici potest. dicit enim Aratus v. 96—136 Virginem Iustitiam esse; quae cum aureo saeculo inter homines versata esset, argenteo se in montes recepisse, aeneo vero ad caelum evolasse. Iustitia igitur sive Virgo eis omnibus historiis interesse potest, quae et saeculo argenteo et in montium solitudine eveniunt. sed ipse confiteor haec omnia tamdiu mera coniectura niti, donec, id quod praecipuum Virginis insigne est, spicae in huius quoque figurae manibus inveniantur.

10930899

ADDENDA ET CORRIGENDA.

p. 2, 20 lege *28 p. 69, 20* pro *23 p. 69, 20.*

p. 4, 6 post *nihil* adde *aliud.*

p. 24, 11 verba *regrediente igitur Nilo etc.* a Catasterismis aliena ex eodem fonte interpolata sunt, quo Isidorus in Originibus III 21, 8 utitur. cf. p. 202 adn. 2.

p. 26 lege *Rufius* pro *Rufus.*

p. 27 sero inveni Avieni versum 372 emendate in Germanici codice Basileensi legi, ubi post v. 146 Avieni v. 370—8 interpolati sunt. v. Breysigii editionem p. 10.

p. 29 (et 176) vereor ut recte cum Avieni v. 782—796 tum scholium Arateum ad Catasterismos rettulerim.

ibidem: Ovidium ipsum Ampeli fabulam invenisse etiam Merkelii sententia est. (Ovid. Fast. p. XC.)

p. 31 infra: Artemidorus nescio quis *Φαινόμενα* scripsisse traditur in Arati vita altera. v. Buhle II p. 443.

p. 33. Cepheus cur quartus, Lyra nona vocaretur, iam Fellus et Heynius intellexerunt. ceterum eis, quae illic de Catalogorum ordine dixi, adde quae in adnotatione ad Epitomen p. 192, 18 exposui.

p. 40, 16 verba *eius filiae* delenda sunt; deerant enim in Frisingensi, cuius lectiones illo loco adpono.

p. 42, 3 post *XIII* adde *et XXIII.*

p. 47. de Hygini Astrologiae codice quodam, qui in gymnasii Fribergensis bibliotheca adservatur, nunc Heydenreichii dissertatio (die Hyginhandschrift d. Freiberger Gymnasialbibl. Programm d. Freib. Gymn. 1878) consulenda est; quam in Hygino recensendo mihi praesto non fuisse quamvis aegre feram, tamen hic lectiones eius codicis enumerare e re visum non est; quas qui scire cupiunt, ipsum Heydenreichium adeant.

p. 84 in Testimoniis: Avien. v. 283 *coli* scripsi ex coniectura Schraderi: *poli* libri.

p. 100, 15 *ἡνιόχει* scribendum esse iam Boeckhius Ann. d. Inst. I 171 vidit. *ἡνίοχος* Augustus Mommsen. *ἡνιοχῶν* Michaelis.

p. 110 inter Catasterismorum fragmenta Eudociae capitis, quod *περὶ Πλειάδων* inscribitur, initium totum recipere debebam, non in adnotatione tantum commemorare; itaque verba hic saltem adscribam. Eudocia p. 339. *Πλειάδες θυγατέρες ἐγένοντο Πληϊόνης θυγατρὸς μὲν Ὠκεανοῦ, γυναικὸς δὲ Ἄτλαντος· ἀφ' ἧς καὶ Πλειάδες λέγονται· ἦσαν δὲ δώδεκα τὸν ἀριθμὸν καὶ υἱὸς Ὕας· ὃν ἐν Λιβύῃ κυνηγετοῦντα ὄφις ἔκτανε· τῶν δὲ ἀδελφῶν αἱ μὲν πέντε διὰ τὸ ἐπὶ τῷ θανόντι πένθος οὐκέτι ἦσαν οὐδ' αὐταί, ἀλλὰ καταστερισθεῖσαι ἐπωνομάσθησαν τῷ ἀδελφῷ Ὑάδες ἐξ αὐτοῦ παρονομασθεῖσαι. ἔπαθον δὲ τὰ αὐτὰ μετὰ ταῦτα καὶ αἱ ἑπτά· διὸ καὶ Πλειάδες εἴρηνται, ὡς τοῖς πολλοῖς δοκεῖ, διὰ τὸ πλείους εἶναι τῶν πέντε.*

p. 131, 7 Schol. Germ. G: post *Gorgonas* ex S *venisse* addendum est.

p. 131, 18 s. Hyginus: pro *Graeae fuerunt Gorgonum custodes, de quo* lege *Graeae fuerunt Gorgonum custodes III, de quibus.* et in adnotationibus adde: *Gorgones III, de quibus R. Gorgonum custodes, in quibus M. custodes Gorgonaum, de quo P.* v. Bursian Jahrb. f. class. Phil. 1866 p. 762 adn. 2.

p. 131, 22 post *suo quaeque tempore* adde *accepto oculo.*

p. 138 in Testimoniis: pro *Avien. v. 318* lege *Avien. v. 618*; pro *inde* lege *illa.* ibidem v. 625 *Musa satus ipse; repertor ‖ carmina Pleiadum numero deduxerat* scripsi Wilamowitzii egregia emendatione recepta: *Musa satus; ille repertor. carmine Pleiadum numero deduxerat* vulgo.

p. 145 Hygini liber Dresdensis 183, qui praeter alia etiam scholia in Germanicum ea, quae Sangermanensia vocamus, continet, trium siderum catalogos servavit, qui in G omissi sunt; equidem in Catasterismorum Fragmentis hunc defectum ex. S compensare studui; sed cum nuper catalogi illi ab Heydenreichio (Mus. Rhen. 1878 p. 479) editi sint, hic eos repetam. itaque pro eis, quae sub XXV Olore in quarta columna posui 145, 1—6, ex D haec recipienda sunt: *Habet autem stellas in capite claram unam, in utraque ala quinas, in corpore II* (scribe *I*), *in cauda II* (scribe *I*) *fiunt XIII.* debebat *XIV*, sed colli stella omissa est. deinde

p. 147 sub XXVI Aquario 1—13 haec reponenda sunt: *Habet stellas in capite obscuras II, in universis singulas* (scribe *umeris singulis*) *claras singulas, in sinistro cubito I claram, in dextro cubito I et in manu I, in mammis singulas, in dextro crure I, in pedibus singulas claras. summa XII. effusio quae* (scribe *aquae*) *notata est ex stellis XXX* (scribe *XXXI*), *ex quibus duae clarae, ceterae vero obscurae sunt.* scribendum esset *summa XVII*, nisi post verba *in mammis singulas* quinque stellae omissae essent et eaedem quidem, quarum commemoratio etiam in scholiis Basileensibus desideratur. omnino singula verba scholiis Basileensibus accuratius respondent, quam in ceteris Sangermanensium catalogis solent. denique

p. 150 sub XXVII Capricorno haec verba repono, fere eadem ceteroquin, atque quae ex S recepi, sed paullo emendatiora: *Habet stellas in singulis cornibus singulas* (*singulis* D. corr. Heydenreichius), *in naso claram, in capite II, sub collo I, in pectore I* (scribe *II*), *in pede priori I, in summitate pedis I, in dorso VII, in ventre V, in cauda II claras. summa XXIV.*

p. 156 Testimoniis ad scholia Basileensia adscriptis addendi sunt Fulgentius I 25 et mythographi Vaticani II 198 e III 4, qui omnes Aglaosthenis narrationem eisdem fere verbis procul dubio ex scholiis Germanici exscriptam (nam ab Hygini verbis magis recedunt) repetunt, manifesto tamen errore pro Aglaosthenis, scriptoris illo tempore fere ignoti, nomine *Anacreontem antiquissimum auctorem* nominant. Bergkius (Poetae lyrici III p. 1040 fr. 132) quamquam recte historiam a Teio poeta narratam esse posse negat, falso tamen de iuniore illo Anacreonte, qui Phaenomena scripsit, cogitat. v. Epimetrum II p. 224. immo nihil cum in Hygini fabulis tum apud mythographos Vaticanos saepius factum est, quam ut pro ignoto nomine vulgarissimum poneretur.

p. 213, 2 Cod. Strozzianus: *et* ante *per delphini monumentum* delendum esse recte statuit Breysigius; nam quod in U omissum est, etiam in scholiorum Strozzianorum archetypo defuisse veri simile est.

p. 228. Addere poteram Araetho de Callistus patre Ceteo cum Pherecyde convenire. v. Apollod. III 8, 2. 2. Pherecydes fr. 86 Müller.

p. 230. De Cephali cane Nicander eadem narraverat atque Ister. cf. Pollucem V 38, 39, Schneiderum Nicandrea fr. 97. suus huic fabulae et, quam eodem loco Pollux ex Nicandro commemorat, Actaeonis historiae locus erat in *Ἑτεροιουμένοις*, ad quae recte utramque rettulerunt I. G. Schneiderus et Bastius. nam vereor, ut O. Schneiderus cuiquam persuaserit Nicandrum peculiari opere, cui *Κυνηγετικὰ* inscriptum esset, de canibus egisse. quodsi demonstratum esset Nicandrum in *Ἑτεροιουμένοις* conscribendis Istri opera mythologica adhibuisse, is, quem supra p. 230 adn. 20 notavi, Ovidii et Istri consensus ad Nicandri *Ἑτεροιούμενα* referendus esset. at si quidem recte contendi Istrum ab Hygino lectum esse, non est cur negemus ipsum Ovidium scripta celebris illius Callimachei manibns habuisse.

p. 233. Addere poteram ea, quae Hyginus II, 1 (p. 31, 6 *sed alii dicunt* — 12 *demonstrasse*) de Callistone narrat, eadem esse, quae Apollodorus profert III 8, 2. 3 et 4.

p. 242. De scriptis, quae Epimenidis nomine circumferebantur, Hillerus nuper docte et accurate egit in Museo Rhenano 1878 p. 525; ille quoque Eratosthenem et Diodorum ad idem opus respicere statuit, quod utrum epistola ad Solonem data an alius liber sit in medio relinquit: de carminibus tamen, quorum tituli apud Diogenem Laertium leguntur, cogitari vetat, cum ille operum Epimenideorum catalogus ex Lobone Argivo impudentissimo falsario fluxerit. at ipse Hillerus concedit, in Epimenide rem se paullo aliter habere, atque in ceteris, quibus Lobon suo Marte carmina largitus sit, sapientibus, cum Epimenidis nomine re vera cum carmina tum pedestria scripta extiterint; itaque in catalogo illo vera cum falsis mixta esse. atque *Κουρήτων καὶ Κορυβάντων γένεσιν καὶ θεογονίαν* posse extitisse ne Hillerus quidem negare ausus est, v. p. 528 „wenn der alte Kreter, den man gelegentlich selbst als einen Kureten bezeichnete, insbesondere noch von dem Ursprung der Kureten und Korybanten gehandelt haben soll, so mag es jedem überlassen bleiben, ob er sich lieber einen Fälscher vorstellen will, der sich die Mühe nahm, ein derartiges Gedicht zu fabriciren, oder einen solchen, der die sehr nahe liegende Behauptung einfach erlog.“ mihi, postquam Hilleri acumine Diogenis Laertii auctoritas hac in quaestione labefacta est, tota res ita sese habere videtur: exstabat carmen Epimenidis nomine a falsario confectum, cui *Κρητικὰ* inscriptum erat; hoc carmine usi sunt Eratosthenes et Diodorus. quod cum res Creticas inde a deorum ortu usque ad Minoem enarraret imprimis autem Curetum Corybantumque fabulas complecteretur, Loboni ad eos, quos apud Diogenem legimus, titulos fingendos ansam praebuit. quod librum *περὶ Μίνωος καὶ Ῥαδαμάνθυος* pro carmine habui, egregie lapsus sum.

10930899

INDEX CAPITVM.

	pagina
Prolegomena	1— 35
Eratosthenis Catalogorum fragmenta tria	37— 43
Eratosthenis Catasterismorum fragmenta	45—199
I. Ursa maior	50
II. Ursa minor	56
III. Serpens	60
IV. Engonasin	62
V. Corona	66
VI. Anguitenens	68
VII. Scorpius	72
VIII. Arctophylax	74
IX. Virgo	82
X. Gemini	86
XI. Cancer	88
Asini et Praesepium	90
XII. Leo	96
XIII. Auriga	98
Capra et Haedi	100
XIV. Taurus	106
Hyades	106
XV. Cepheus	114
XVI. Cassiepia	116
XVII. Andromeda	118
XVIII. Equus	120
XIX. Aries	124
XX. Deltoton	126
XXI. Pisces	128
XXII. Perseus	130
XXIII. Pliades	134
XXIV. Lyra	139
XXV. Olor	142
XXVI. Aquarius	144
XXVII. Capricornus	148
XXVIII. Sagittarius	150
XXIX. Sagitta	154
XXX. Aquila	156
XXXI. Delphin	158
XXXII. Orion	162
XXXIII. Canis	166
XXXIV. Lepus	172
XXXV. Argo	174
XXXVI. Cetus	176
XXXVII. Eridanus	176
XXXVIII. Piscis	180
XXXIX. Ara	182
XL. Centaurus	184
XLI. Hydra Corvus Crater	188
XLII. Procyon	192
XLIII. Planetae	194
XLIV. Circulus lacteus	198
Index auctorum	200
Epimetra	
I. de scholiis Strozzianis	201—220
II. quos praeter Eratosthenem auctores Hyginus in Astrologiae libro altero conscribendo adhibuerit	221—236
III. de nonnullis Eratosthenis in Catalogis auctoribus	237—248

INDEX RERVM NOTABILIORVM.

Achilles Tatius 29.
Aeschylus 243.
Aglaosthenes 8. 26. 241 adn. 21. 243.
Alcman 246.
Alexander 224.
Ampelius 17 s.
Amphis 20.
Anacreon 224.
Andromeda 244.
Araethus Tegeates 227.
Aratus 23. 33. 231. 234. 246.
Arati interpres latinus 24.
Aristoteles 206 adn. 8.
Artemidorus 31 cf. Addenda.
Asclepiades Tragilensis 15. 228 s.
Attalus Rhodius 234.
Avienus 26 s.

Berenice 5.

Callimachus 5. 231.
Callisto 2 adn. 2. 238 adn. 2.
Cassiepia 246.
Catullus 5.
(Censorini) fragmentum 202 s.
Cephalus 244 adn. 16.
Ciceronis Aratea 232.
Cleostratus Tenedius 224. 226. 245.
Conon 5.
Cratinus 32.

Diognetus Erythraeus 233.
Dositheus 17 s. 234. 236.

Epimenides 8. 241 s. cf. Addenda.
Eratosthenes 30 s.
  Catalogi 33 s.
  Catasterismi 34 s.
  Erigona 6. 231.
  Mercurius 2 adn. 2. 6. 231.
Euctemon 245.
Eudocia 24.
Euhemerus 228. 231.
Euphronius 221 adn. 1.
Euripides 243 s.

Fulgentius 201. 205. 210. 220.

Germanicus 29.

Hegesianax 32. 221. 227.
Heliodorus 20 adn. 39.
Hermippus 32. 222 s.
Hesiodus 217. 230 adn. 20. 237. 244.
Hipparchus 31.
Homerus 244.
Hyginus 35. 236.
  Astrologia 1 s. 201. 221 s.
  Fabulae 235 s.
  Fabularum codex Frisingensis 210.
  „ Italicus 210.
  Genealogiae 234 s.

Isidorus 15 s. 202 s. 205.
Ister 228. 230.

Lactantius Firmianus 9 adn. 11.
Leon 231.

Martianus Capella 205.
Minthes v. Sminthes.
Musaeus 12 s. 240 s.
Myrtilus 6. 21. 25. 31. 32 adn. 65.
Mythographus Vaticanus II 218 s.

Nigidius Figulus 16 s. 32. 35.

Ovidius 16. 29. 232. 233.

Panyasis 243.
Parmeniscus 225 s.
Petellides Gnosius 222 adn. 6.
Pherecydes 15. 245.
Philiscus 32.
Phylarchus 231.
picturae Pompeianae 4 adn. 7. 7 adn. 10. 247.
Pindarus 232.
Pisander 243.
Plinius 201. 205.
Polycrite 233.
Polyzelus Rhodius 231.
Promethei fabula 7 adn. 10. 223.
Prosymnus 230.
Ptolemaei epigramma 221.

scholia in Aratum 15. 25.
in Germanicum Basileensia 8 s. 201.
Sangermanensia 21. 201 s.
Strozziana 204 s.
in Iliadem 34. 233.
Scorpius 338.
Servius 219 s.
Sminthes 28.
Sophoclis Triptolemus 222.
Sositheus 32.

Thales 245.

Urania Musa 246.
Ursa maior 244.
minor 245.

Virgo 247.


Lipsiæ, typis Pœschelii et Treptii.

10930899

10930899

10930899





W. OBERMEIER
Rundbandbiegemaschinen
8363 Rottenburg

10930899